

II.

DISPUTATIO

THEOLOGICA

DE

INCARNATIONE,

QUAM

Christo incarnato duce & auspice incarnato

Christo

Consensu Amplissima Facultatis

Theologica

Sub

PRÆSIDIO

VIRI Admodum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS HÜLSEMANNI,

SS. Theol. Doctoris, ejusdemq; in celeberrimâ Academiâ

Lipsiensi Professoris celeberrimi, Consistorii Electoralis Assessoris,

Capituli Zizensis Canonici, Alumnorum Electoralium Ephori & ad templum D.

NICOLAI Pastoris, Facultatis Theologicae p. t. Decani me-

ritissimi, spectatissimi, gra-

vissimi,

FAUTORIS, PRÆCEPTORIS ac HOSPITIS

sui omni honoris genere prosequendi

Ventilandam modestè

exhibet

In Principum Majori Collegio

Die 19. Aprilis 1650.

JOHANNES JOHANNIS RESENIUS, DANUS.

Autor & Respondens.

LIPSIÆ.

TYPIS Hæred. FRID. LANCKISCH, cl. h. c. L.

26.

~~XXXI 28~~

7

Coll. diss. A
183, 11

84 A. 183 (11)



PROOEMIUM.

DIxit olim, quicumque dixit, *QUOT CA-
PITA, TOT SENSUS.* Hoc verò qui dixit, à veritate
absonum dixit nihil. Prodit enim se illud, quod occul-
tari nequit. Capita quidem habemus communi natu-
rae ordine ex ossibus, cartilagine, carnibusque composita, nec est quod
existimet quisquam sibi suoque capiti puriorem subtilioremve præ ca-
teris contigisse materiam. Terrena namque est, terrena mansura,
futura terra. Verbum DEI est fallere nesciunt. Sensibus quoque gaudemus
omnes similibus integrique, integri qui nascimur. De illis non loquar
modo, qui sensuum modo uno, modo altero destituti, lucem hanc
mundanam aspiciunt & vitalem. Hoc verò sive hereditario fiat in-
terdum, sive alio quodam casu perspiciant Physici. Nec de illis mihi
sermo erit in praesens, qui sensibus nati perfectis, in medio vitae cur-
su, nunc visu, nunc auditu, nunc loqui velà orbantur velociter. Cur ve-
rò hoc fiat, videant Medici. Neque demum de illis constitui agere, qui
aut propriam incuriam aut aliorum perfidiam, in bello tumultibusque aliis
amittunt oculos, qui visum ipsis suppeditarent suum. Causa hujus
rei, ut inquiratur adeò, supervacanea res est, ocularis est & aperta.
Haec omnia ut dixi prætereo tacite. Sentimus omnes, qui munere
vescimus terrae (ut mihi hoc de suo largiatur Lyricus iste Poëta.)
& sentit Bos, & sentit Asinus. Nec mirum sane, sensum enim pro-
prium cuique suum dedit natura. Frigora sentiunt animalia quævis,
tremulant trepidantque, undè verò veniant, capere nequeunt. Campi
devorant gramina exeduntque ad pastum prona ac propensa, quid
verò faciunt, nesciunt ipsa. Jaculatorem fugiunt impetu cæciori.
Nec canis suum relinquit Dominum, ejus nutum sequi paratus, inna-
tâ quædam instructus phantasiâ. Est verò Homo, animal provi-
dum, sagax, acutum, memor, plenum rationis & consilii præclarâ
quædam conditione à summo creatum Numine, solum quoque est ex
A
omnium

omnium animantium generibus atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cetera sint experta omnia. Ut rectè monet Aristoteles Lib. 1, Polit. *Dono huic magno sentiendi superaddidit majus divina benignitas, intelligendi putà, per quod homo penetrat mundum, mundiq; occulta examinat omnia, malum rejicit atq; falsum, bonum approbat atq; verum, hocq; sequendum, eligit tandem.* Aurea Ciceronis verba ex Lib. 1, Offic. referre huc placet.

Inter hominem, inquit, & belluam hoc maximè interest, quòd hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solùm, quod adest, quodq; præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumq; progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit, annectitq; futuras. Facile totius vite cursum videt, ad eumq; degendum præparat res necessarias. *Est igitur RATIO maximum illud, quod nos ex bestiarum divellit consortio. Ornati sumus membris formatis benè, dispositis egregie, totius verò ornamenti istius fundamentum totum est Ratio sola. Hac sublata in Bestias degeneramus illicò. Sed quid dixi? In Bestias! Vereor ne locutus sum liberè nimium. Parum tamen est, credo aliquid si est. Figuram nostram retinemus nativam, nec facies variat se, nec pes, nec manus, nec locum à natura concessum semel, commutant facile. Formam verò ut talem si respicimus ipsam, à brutis hanc discrepare parum haud, fatebimur ultrò. Verbis credere si detrectamus, credamus testimonio necesse est atq; exemplis. Mente captus ex una prodeat parte, ex altera Bestia quævis. Objecta lynx cernit, cernit & ille. Ridet simius, ridet & ille. Boas bos hinnitq; Equus fingit & ille sibi linguam barbaram insuetamq;. Audit cervus strepitantem susurrum, audit & ille. Olfacit canis, olfactus Domini quærit vestigia sui, olfacit & ille. In propriam suam ruit perniciem indomitus equus, vel collum frangit, vel femora sua. Finit non raro vitam insanus sibi nunc laqueo, nunc gladio. Infert hominibus damnum sylvestris taurus, hujus rei nescius ipse, non unum idem fecisse insanum est in aperto. Sed provectus sum quàm putabam longius! Ratiocinantur multum multi, multiq; magis, maximè multi. Non caret signis*

gnis indiciumq; suis quadam rusticis, ex quibus judicat frugiferas arbores,
 frugiferam terram. Dicitur et ratio. Prasagia habet audax Nauclerus, ex
 quibus praedicit tempestatem futuram. Ratio Dux est. Intra ratione
 rationem suam subtilis Physicus. Cerebri vires perpendit & ille,
 Ortum progressumq; animae inquirit curiosè. Membra humana ex-
 aminat omnia. Frigoris subjectum quaerit assidue, ut & Caloris. De-
 mittit se in profunditates terrae acie mentis. Nubium tractibus, colli-
 sionibus, contrarium causis inserit sese. Fluminum fluxus, refluxusq;
 marium intuetur intentè. Nec meteora, aliaq; monstra relinquit in-
 tacta. Si quaeris unde ros, unde nix, unde nebula, unde pluvia prove-
 niunt omnes, adi Physicum, dicit ille tibi. Physico medico in opere ad-
 jungit se Anatomicus, Botanicus. Adstat Physico ille servire paratus,
 speculatur unam, nec hoc solum, arripit & ad hunc usum factos cultellu-
 los nitidos, resecat membra, dividit cor, aperit frontem, erodit oculos,
 corpus demortuum miserè tractat, sciendi cupidus. Confugit hic re-
 linquens urbes in agros fertiles, & campum late patentem. Invisitat
 hortos, coloribus florum delectat oculos, illarum virtutes scrutatur se-
 dulò, cuiuslibet nomen ex ratione peticum imponit suum. Ex hisce tribus
 probe jam doctus proficit Medicus. Vocatus venit, morbos intrespicit,
 illorum numerat genera, agrotis auxilium porrigit, medicamina eos-
 dem tollentia praebet, febrem exstinguit malignam, pestemq; repellit.
 Novit Astrologus stellarum cursus, Solis & Lunae. Fore eclipses pra-
 videt etiam rationis ductu. Et quid non? proferre omnia huc con-
 ducentia, foret per longum. Circa unum idemq; versantur objectum
 supra jam dicti, diversas tamen fovent sententias. Est enim illud quod
 alteri placet, displicet alteri. Contradicit Antiquus Antiquo, rationi-
 bus ducto firmiter, & novus Antiquo. Cur? Dixi, **QVOT CAPITA,**
TOT SENSUS. Et cur ni? Quod errant Antiqui, corrigunt novi ratione
 secuti probabiliore. Quem non ratione libera donavit provida natura?
 Num magis ligata est ratio huius quam illius? Minimè. Currit, circumfert se
 liberè, quorsum vult, curans neminem. Arduum rationi humanae in
 naturalibus sit non est prope nihil. Mundana apprehendit cuncta. In supremam
 parte, capite scilicet, tanquam in arce facti sunt sensus collocatiq; omnibus,
 in calcaneum detrusi nemini. Sed unico verbo omnia: Decrescit aetas,
 crescit Experientia, Scientia crescit. In hisce caducis valuit haec lenis
 curiosae ratio, quod si verò ad altiora scandis, ne scandat illa

una. Metampræscribe ipsi, cobibe illam, coge illam, trabe illam. Ut ii, dicit Lipsius, Epist. Centur. II. Epist. 2 qui cum Rege aut Principe in aula versantur, viliores res hominesq; fastidiunt, sic qui animum ad Divina applicant, tenuia hæc & mundana. In naturalibus EXPERIENTIAM habes omnibus obviam, negatam nemini, secundum quam rationem conformare potes liberè tuam. In supernaturalibus autem principium habes longè præstantius, longèq; verius, divinam revelationem, in lucido suo patefactam verbo, hanc scrutare, penitus inspicere fidei oculis. Naturalis utiq; es, naturalia capis & nihil ultra. Quis demùm tam stultus esset, ut ratione mentis DEUM, DEIQ; Essentiam, se percipere posse putaret? Non capit ratio tua, Virginem peperisse filium? Verum tamen est, Non capit ratio tua, DEUM factum hominem, hominemq; Deum? Verum tamen est, Non magis vides abscondita hæc, quam diem videt vel ulula vel vesperilio. Hinc in exilium proscribere dicterium illud. QVOT CAPITA TOT SENSUS. Sensus unus est verbi divini: ad hunc unum fidem componere tuam, plures fingere tibi non licet. Ne te decipiant, Photinus, nec Affectus ejus, sat est, quòd decipiant sese. Corruptunt illi mentem divinam, vociferantur rationem, quicquid ratio illorum somnians vult, volunt & illi. Divinum verbum corrigunt illi, nulla prorsus infestum labe. Nec ulla est particula in codice sacro, cui non affingunt aliquid vitii. Quod occultavit DEUS, occultandum negant, pro deliriis habent. Exerit sese illorum protervia atq; malities in omnibus ferè mysteriis fidei. Catechesin consule Racoviensem, reperies statim, quomodo non solùm Mysterium Incarnationis p. 55. sed & alia paria huic, Mysterium Trinitatis p. 48 Mysterium de aternâ Filii à Patre generatione p. 63. diabolicis suis ac prestigiosis subterfugiis in fumum vertere verentur minimè. O audacia temeraria! Sanguine cautius fuge viperino Calvinum prudentem sat, parùm sapientem. Calvinus vocatur, calvas quoq; producit rationes. Imperfecta principia sua, pèrfecto verbo divino vel paria reddere conatur vel multò nobiliora. Convocat hicce terminos Philosophicos, iuq; volintellectus malè, vel applicatis pessimè, maxima ac profundissima Mystera ex lucidissimis Scriptura dictis comprobata satis, oppugnare allaborat. Vesania O summa! Clamitat voce raucâ Romanus Pontifex, accede ad me measq; traditiones. Obverte ipsi tergum. Falla gemmula, infit

Lipsius,

Lipſius, puero aut ruſticulo poteſt imponi, gemmarum mangoni nunquam. Dicit ipſi, non tibi fido Pontifex fide, ſupra DEUM eve- bis tete, cælum ipſum petis ſtultitiã, iracunda DEO ponis fulmina, gra- viori ruiturus lapſu. Quod ſibi dari vult DEUS, tibi dari cupis. Non noſcis DEUM, neq; noſcis teipſum. Falſo tu niteris fundamento. Aliud principiũ dedit mihi DEUS, adhæreo huic. pareo huic. Cũq; conſituerẽ cum animo meo ex multis aliis Incarnationis Myſterium pro modu- lo ingenii breviter pertractare ſuccincteq;. Principio infallibili verbo divino adhærebo tenacius. Tu ergo Pater omnipotens, qui lucem habitas inaccessibilem & tenebras poſuiſti latibulum tuum, egre- dere demum & oſtendendo te, illumina me, fac ſit fœlix fauſtum- que inſtitutum hoc meum, da mihi per tua noſce te, noſce me, da mihi per mea noſce me, revereri te, da mihi, id per eum qui veritas eſt, lumenq; ſplendidiffimum. Amen.

THEſ I.

Post amiſſionem imaginis divinæ per protoplaſtorũ lapſum, hominem in tribus potiffimum conſtitutum ſtatibus, exhibet pagina ſacra. Eſt itaq; ſtatus primus PERDITIONIS, in quo ſtatu conſideratur homo, quatenus jam per ſerpentis argutias ſe- ductus, divino ac maximo iſto, quo ornatus fuerat perduto privi- legio, perdidit una huic adhærentia, peccatumq; mortem ac æter- num exitium, in collum ruruſus traxit ſuum. Alter verò Status eſt REPARATIONIS, in quo homini in totum jam derelicto gratia apparuit divina, quæ ipſi bonum iſtud Spirituale, quo erat planè exutus, redderet & adportaret, ne malum iſtud, quod ſibi abun- danter attraxit, atq; perpetuò, maneret perpetuum, ſed leniretur paululum. Tertius demum Status conſiſtit in REPARATIONIS EXECUTIONE, quæ in hac vitã incepta, in alterã perfectè decla- ratur, quando in bono finaliter perſiſtentibus, quod per trans- greſſionem primævam detractum eſt plenè reſtituetur, vitaq; perfruentur æterna.

Theſis 2. Totidem quoq; modis CHRISTUS ſeſe ex ver- bo ſuo revelato cognoscendum præbet. Conſpicitur enim ille, primùm quatenus ab æterno genitus eſt à Patre ſuo, cum Patre

eâdem dignitate, eodem numero, eâdemq; Essentiâ DEUS, ac per hanc suam æternitatem resistit æterno malo isti, quod sibi per suam malitiam confluxit homo, ac ne ipsi hoc obtingeret, elementissimè curavit, eligendo eum, suamq; electionem Proevangelio ac promissione de semine contrituro serpentis capite confirmando. SECUNDO quatenus in tempore de summo suo Majestatis divinæ throno descendit, massam suscepturus humanam, proprietatesq; humanas, per quam suam assumptionem nos, qui sub peccato, morte & Diabolo eramus venditi, redimere constituit. TERTIO quatenus assumptam hanc massam suæq; personæ adunitam in cœlum transtulit se cum, nobisq; hac ratione univit se partim in hac vitâ per regenerationem, per verbi divini prædicationem & revelationem per corporis & sanguinis sui communicationem, perq; fidem veram vivamq;, uniturus se tandem nobis in alterâ vitâ perfectissimè cum rediturus sit in extremo iudicio DEUS verus, & verus homo, nobiscum æternam communicaturus gloriam.

Thesis 3. Quocirca, ne Disputatio suscepta nimis excresceret, si hos omnes & singulos modos cognoscendi CHRISTUM percurrerem, primo & postremo relicto ad medium hoc tempore examinandum me accingam. Hoc verò genus tota Orthodoxa Schola nominavit MYSTERIUM INCARNATIONIS, Græci verò Antiqui *Μυστήριον ἐνσαρκώσεως*. Perpenſa igitur & investigata Mysterii hujus *Ονοματολογία*, ad *Πραγματολογία* properabo.

Thesis 4. *Ονοματολογία* quod attinet consideranda in illâ veniunt (1) *Etymologia*. Hæc verò cum nihil difficultatis in se habeat, & ex vocabuli istius inspectione nulli non sit nota, in illa inquirenda, oleum & operam (quod dicitur) perdere nolo.

Thesis 5. (2) *Origo* Græcis dicitur *ἐνσαρκωσις*, INCARNATIO Latinis Provenit autem vocabulum illud *σαρκωσις* Carnis generatio à verbo *σαρκόω*. Incarno, carne expleo. Cur verò hoc vocabulum in hoc mysterio usurpatur, dicit B. Chemnitius in aureo suo libello de duabus naturis in Christo cap. 9. Irenæum in causâ fuisse, qui dixit *λόγον σαρκωθέντα*. Et unionem vocavit *σαρκωσιν*. Sententiæ ejus existunt citatæ in dialogo Theodoretii. Secuta igitur

tur

tur Irenæum tota veneranda Antiquitas, hoc vocabulum ἐνσάρκως καὶ σαρκώσεως postea retinuit constantè, eodemq; summâ cum aviditate usa est sedulo. Et quis est, qui non affirmabit, illud ab eadem factum esse & justè & æquò? Vocabulum enim nullum prorsus in totâ reperiebatur Scriptura, quod solum sanctissimi hujus mysterii vim exprimere potuit & exhaurire. Definitum enim ejusvis definitionis non pluribus constabit verbis, sed unico erit comprehensum, totam naturam & Essentiam Definitionis in se habens Compendiosius itaq; vocabulum, quam dictum, dari non potuisse puto, eo, quod & sit huic mysterio convenientissimum, & aliàs ex Scripturâ ipsâ petitum.

Thesis 6. Hoc vocabulum ἐνσάρκωσως Tertullianus primum ex Græco in Latinum vertit, appellavitq; *Incarnationem*, quo etiam vocabulo, ut Patres Latinorum optimi, Hieronymus, Ambrosius & Augustinus usi sunt, ita nostri Theologi uti non desistunt.

Thesis 7. (3) *Synonyma*. Hæc verò vocabula, quamvis quoad formam sint ἀξιαφα, quoad materiam tamen non ita. Dicitur enim Job. 1. v. 14. ὁ λόγος σαρκὶ ἐγένετο. Rom. 1. dicitur CHRISTUS γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. Gal. 4. dicitur ὁ Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Multa & innumera ferè Synonyma præter dicta offert codex sacer, in quibus recensendis non ero operosior, scire enim sufficit vocabulum in Ecclesiis receptum, fundamentum in sacris carere minimè.

Thesis 8. Unicum verò dictum est. Phil. 2, 7. Ὁ Θεὸς ἐκένωσε ἑαυτὸν μορφῆν δούλου λαβών, quod cum Calviniani ut & Jesuitæ pessimè depravent, ac in detestandum ac pessimum abusum suum trahant, accedamus propius, visuri quo jure, & quâ conditione id ab iis fieri potest, numq; idem dictum verè ac propriè sic dictum ad Incarnationis mysterium pertineat, perspecturi sedulo.

Thesis 9. Ut igitur hoc eo melius peragatur, non abs re fore credo, sententias Calvinianorum & Jesuitarum prius examinasse. Illi igitur per hoc dictum (quamvis obliquè) incarnationem intelligendum volunt, quò eo meliùs falsissimam & blasphemam suam, quam sibi habent propriâ de exinanitione divinæ CHRISTI nature, & ex consequenti ejusdem exaltatione, sententiam defendere

Explanatio
dicti philip. 2, 7

oere possint. Beza Resp. ad Colloq. p. 96 97. Deitas, dicit, quodam modo exinanita est p. 145. Nemo negat hanc Verbi omnipotentiam quatenus sub velo carnis ad tempus delituisse, & quodammodo quod ad manifestationem attinet videri posse ipsi τῷ λόγῳ ratione sua DEITATIS fuisse restitutam, cum in hac quoque carne peractis ipsius infirmitatis diebus supra omne nomen eveberetur. Hi (Jesuitas volo) directè & simpliciter volunt indigitatum hoc loco mysterium incarnationis, quâ de re videatur Cornelius à Lapide in Comment. ad Phil. 2. ut & Salmeron ibidem.

Thesis 10 Contrarium verò Calvinianis statuunt tum optimi Patres, tum Lutherus, tum quoque omnes Orthodoxi Theologi, Hiero. in Comment. c. 2. Phil. Humiliationem & exaltationem ad humanam CHRISTI naturam referendam esse dicit, Basil. lib. 2. contra Eronom. Tom 2. p. 522 in cap. 7. Act. Non de essentiâ ipsâ verbi DEI, quod in principio erat apud DEUM, sed de eo, qui seipsum exinanivit in formâ servi, & factus est conformis corpori nostri similitudinis, & crucifixus est in imbecillitate palam verba facit. Patribus hac in parte noster quoque suffragatur Lutherus, dum in Possillâ Ecclesiasticâ super Epistol. Heb. 1. dicit. Quando quid de Humiliatione & Exaltatione Christi dicitur, homini tribuendum est, divina enim natura nec humiliari nec exaltari potuit.

Thesis 11. Verum enim verò cum meum non sit institutum, hic velle Calvinianorum argumenta, quæ ex hoc loco pro adstruenda Exaltatione & Exinanitione divinæ Christi naturæ depromunt, ex professo confundere ac damnare (pertinet enim hoc ad secundum genus Communicationis Idiomatum) extra rhombum (quod dicitur) saltare nolo. Sed hanc formulam Paulinam τὴν μορφὴν δούλων contra Jesuitas non ad Incarnationem sed ad alias actiones passionesque humanas, quas Christo post Incarnationem exercuit, digitum intendere, ex vocabulorum græcorum propriâ indole & naturâ, eorumque genuina interpretatione, ut & ex textus Symphonia ostendam pro viribus.

Thesis 12. Dicitur μορφὴ δούλων. Primariò & πρώτως non intelligi per formam servi Incarnationem & veram humanam naturam, sed potius servilis illius naturæ conditiones & infirmitates, probatur primò, ex textus oppositione. Huic enim formæ opponi.

μερὸς τοῦ σώματος
καὶ τῆς φύσεως
αὐτοῦ
καὶ τῆς φύσεως
αὐτοῦ

ponitur forma DEI, Jam verò in formâ DEI esse, non hic significat DEUM natura esse (ut Calviniani autumant, ut & Tilenus in Notis ad libr. 2. & Bellarminus de Christo c. 3. per τὴν μορφήν ἢ θεῶν DEI veram ἁσίου & ipsam essentiam & naturam divinam in se absolute secundum εἶναι consideratam esse accipiendam fallò existimant, (Heic scribendi causam habuit Danaus, scribere si cupidus adeò fuit, materiam a. scribendi subministrant pontificii & Calviniani ipsi, Chemnitius verò nullam ut Thesi subsequenti 13. monstrabimus,) sed solummodo statum divinum, seu conditionem divinâ externam, gloriam & majestatem DEO convenientem exercere. Ergò quòq; τὴν μορφήν ἢ ἄλλο λαβῆν, significat infirmitates servo convenientes spontè assumere: In incarnatione verò proxime non assumpsit Infirmitates, sed potiùs corpus humanum, quod infirmitates subsequabantur, illæ verò sunt quæ per μορφήν sunt explicandæ. Secundò ex depositione: Humanam naturam quam Christus sibi assumpsit, deposuit nunquam, hanc verò formam quam adsumpsit deposuit in statu Exaltationis, quando datum est ipsi nomen quod est supra omne nomen. Vix enim credo quæquam futurum tam vesanum, tamq; parùm tribuentem Christo, ut dicere audeat, Christum etiam in statu Exaltationis & Gloriæ quoad humanam naturam esse nostrum conservum. Quamvis verò eo dementiæ & stoliditatis sit rapius Danaus cum suâ Scholâ, ut statuminare nõ erubescat, Christũ etiã post assumptã humanã naturam & exaltatam nostrum esse conservum, tamen hanc ejus falsam & superstitionem opinionem rejicit manifestissima & apertissima Scripturæ litera: *Nam si factus est omnium Dominus, & deposuit formam servi, ut hoc in loco confirmat D. Paulus & Matth. 28. v. 19. Act. 2. v. 36. Eph. 1. v. 21. Spiritus DEI testatur, ita ut homines ipsius sint ministri 1. Cor. 4. v. 2* concluditur firmè & fortiter, illum non posse, quatenus post exinanitionem in summum exaltationis statum fuit collocatus, conservus noster nuncupari. Tertiò ex vocabuli hujus propriâ significatione. Vocabulum enim hoc nullibi in sacrâ Scripturâ exponitur per veram aliquam alicujus naturam: ubicunq; verò ponitur, exprimit externa & accidentia vel corporis humani vel alterius alicujus rei. *Nunc enim significat vestitum & externum habitum, ut Marc. 16. v. 12*

B

Ubi

Ubi de Christo post resurrectionē dicitur, ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. Nunc imaginem ut Es. 44 v. 13. Fecit imaginem viri. Nunc externā formā, quæ primaria est hujus vocabuli significatio, ut Dā 5. v. 6. Tunc facies Regis immutata est. Idem quoque volunt vocabula inde oriuntia, e. g. μορφίζω formam mentior, & ὁμοίῳ arte formā; jā verò mētiri formā non potest explicari per veram naturalem formam; vel per ipsissimam alicujus naturam. Sic Μόρφωσις significat informationē vel institutionē, ut Rom. 2. v. 20. ἔχοντες τὴν μίμωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ. Quod quoque vocabulum sumitur pro inani specie, 2. Timoth. 3. v. 5. ἔχοντες μίμωσιν ἁσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρημένοι. Ex hisce dictis jam concludo: Quodcunque vocabulum, non realem alicujus substantiam & subsistentiam vel naturam exprimit, illud in Incarnationis mysterio usurpari nequit: vocabulum μορφῇ id non facit; Conclusio hinc sequitur vera: Ergò in mysterio incarnationis nullum habet usum.

Theſis 13. Insignem sanè injuriam facit Sciolus iste **LAMBERTUS DANÆUS** (hoc enim titulo eam dignum censebat D. Sebneccerus) dum b. m. Chemnitio, affingit illa, quæ ne quidem per somnium in mentem ipsi unquā venire. Carpit n. illū in examine suo & responsione ad c. 1. pro Synonymo, quod μορφῇ, τῆς ἁσείας accepit (de vocabulo Φύσεως modo non loquar, quod quoque, nec Synonymum τῆς ἁσείας dici posse arbitrat) dicit verò ille, μορφῇ nomen à rebus artificialibus ad res naturales & creatas, & ab his ipsis ad divinas traductum, non tantum ἁσείας & proprietates ejus essentielles designare, sed alia quoque adjuncta, quæ veram rei naturam consequi solēt. Hæc omnia, quæ de vocabuli interpretatione & significatione profert, vera ex parte, ex parte vero falsa sunt. Quod verò B. Chemnitium calumniatur, ab illo factum esse iniquissimè duco. Quâ igitur ratione hæc in illum dicta sint, paucis videbimus. Constituit b. m. Chemnitius in primo suo capite, explicationem vocabulorum *Essentie, Personæ, abstracti, concreti, idiomatum, ad mysterium Incarnationis pertinentium*, eorumque verum usum in hoc mysterio demonstrare. Antequam verò ad illorum vocabulorum enodationem & expositionem se confert, præmittit ista vocabula, quæ veteribus Ecclesiis in usu erant, illaque ex Damasceno recenset. Hoc facto ad illa vocabula, quæ nos in nostris Eccle.

Eccle.

Ecclesiis acceptamus properat. Ex illis verò verbis & ex illâ
 citatione quid possit inferre Danaus, non video certè. Nisi
 ita vult argumentari; Quæcunq; vocabula citantur ab aliquo,
 quod à nonnullis Scriptoribus habita fuerint pro Synonymis, ille
 vocabula ista pro Synonymis & ipse approbat, Vocabula veteris
 Ecclesiæ *ἁγία, φῶς, μορφὴ* citantur à Chemnitio tanquam Sy-
 nonyma nonnullis veteribus Ecclesiæ Scriptoribus usitatissi-
 ma: Ergò Chemnitius eadem vocabula pro Synonymis appro-
 bat. Sed ita ex ejus hypothese sic rursus argumentor; Quod alle-
 gatur ab aliquo, illud approbat ille, qui allegat, Paulus in epistolâ
 ad Rom. cap. 1 allegat peccatum Sodomiticum, Ergò illud idem
 approbat. Præterea verba Chemnitii truncatè adfert Danaus,
 nam ibi confert Chemnitius antiquorum quorundam interpre-
 tationem cum nostra, & quantum nostra ab illorum differt, mon-
 strat: *Verba Chemnitii hæc sunt: Ita in Ecclesiæ sermone nunc, (rixas
 enim, quæ olim de hisce vocabulis fuerunt, hoc loco non repetam) Syno-
 nyma sunt ὁ φῶς, μορφὴ, ἁγία, πῶς, ἁγία, πῶς, ἁγία, πῶς, ἁγία, πῶς.* Sed quàm
 iniquus interpres horum verborum fuerit Danaus, satis emicat
 ex cap. ejus 1. thes. 3. tum hæc verba profert; *Sed ne rixas verborum
 (modo ne fraus ulla propterea nobis fiat, aut serpens ullus hic lateat)
 querere videamur, age & hoc illi (sc. Damasceno) quoq; benignè lar-
 giamur, ista tria appellari Synonyma posse.* Verum progredieretur
 Danaus ulterius, nec ex uno vel altero verbo, viso vel lustrato for-
 sitan oculo inconsiderantiori, volaret ad calamum calumniato-
 rium. Conferenda enim ipsi essent antecedentia cum consequen-
 tibus, & consequentia cum antecedentibus, antequàm aliquid
 certi subsumeret. Legatur Chemnitius c. 1. p. 5. in edit. Jenensi, cōsta-
 bit statim, quã injustus censor in verba Chemnitii fuerit Danaus.
*Hæc enim verba ibi ponit ille: accidentalia idiomata vocantur & in-
 firmitates propter peccatum humanæ naturæ impositæ, quas Christus
 in statû exinanitionis, non naturæ necessitate, sed ut victima pro nobis
 fieret, volens absq; peccato assumpsit. Et scholasticâ ratione acciden-
 talia appellantur, reliqua dona creatæ, ac qualitates sibi præternatu-
 rales vires, quibus humana natura in Christo formaliter, habitualiter
 & subjectivè ornata est. Nam etiam sine illis speciem suam humana*

natura & retinere potest, & habet illa nō ex naturali suā constitutione sed aliundè. Hæc Chemnitius, prodeat jam Danæus & videat quàm pessimè & iniquè momorderit famam B. Chemnitii. Si enim vellet Chemnitius vocabulum μορφήν esse Synonymum ὁμοίας, cur hæc cum Scholasticis statueret: idiomata humanæ naturæ accidentaliter, formaliter saltem subjectivè & habitualiter homini Christo inesse. Jam verò quantum accidens à substantiâ ipsâ vel essentiâ ipsâ difert non dubium est, quin noverit ipse Danæus. Quod verò tam audax hanc maculam B. Chemnitio impingere fuit conatus, immaturo ejus judicio solummodò est adscribendum. Pro Synonymis enim μορφήν & ὁμοίαν nunquã habuit vel D. Chemnitius, vel quisquam post eum, qui ejus sententiæ patrocinatur. Manet igitur hoc, injuriam à Danæo factam esse Chemnitio.

Thesis 14. Sed quid opus est in hisce immorari longius; quid opus est omnes consequentias, omnesq; quas parit hæc phrasıs probationes multis percurrere verbis? sit & ponatur hanc formulam μορφήν interdum pro ipsâ naturâ sumi, quod tamen concessero neutiq;vã, satis tamen est posse monstrare ex ipso textu, textusq; explicatione hoc idem vocabulum nullam aliam quàm modò dictam hoc loco præ se ferre significationem. Inspiciatur solummodò si placet textus Paulinus, inspiciatur explicatio addita. Ubi enim mens divina seipsam explicat, stultum est aliundè velle testimonia petere, illa enim sibi sufficiens satis.

Thesis 15. Explicationem jungit ipse Paulus, dum citato loco hæc ponit verba: ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ ὁμοίᾳ εὐρεθείς ὡς ἄνθρωπος. ἑταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπὸ κροῦ μέλει ἰανὰ τὰς, ἰανὰ τὰς ἑταυρῶ. Hisce verbis Paulus mentem divinam quæ aliàs multas pati potuisset ἐνθάδε, ab omni prorsus ἐνθάδε liberat. Μορφήν enim per alia vocabula convenientiora explicat, dum primò dicit ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων: Quæ phrasıs cuilibet vacillanti ac dubitanti de vero hujus dicti sensu, omnem prorsus dubitandi ansam adimere potest. Utitur vocabulo ὁμοίωμα quod propriè non referri potest ad INCARNATIONEM, nã in INCARNATIONE nō satis cōpletè & sufficienter hoc vocabulū INCARNATIONIS modum & actū exprimit ac expedit, Nam in Incarnatione non saltem factus est nobis ὁμοίος, tali

tali ratione quæ etiam phantasmata homines dici possunt, verum & propriam nostram naturam sibi assumpsit. Atq; hanc ob causam in Incarnatione dicitur nobis ὁμοσί. Vocabulum enim ὁμοίωμα non latius extendendum est, quàm propria virtus, propriusq; usus permittit. Quando igitur quis dicitur ὁμοί ali- cui, tunc istud vocabulum non exprimit internam & naturalem dispositionem, sed solummodò illam quæ foris & externo se vi- sui hominum exhibet, externas actiones, externos mores & si quæ alia sunt. Sic quando Christus dicitur hic ὁμοί à Paulo, tum hoc vocabulo vult Paulus exprimere & ostendere operationes Christi externas, infirmitatesq; quas quoq; nobiscum cōmunes sibi voluit assumere, ut posset nobis in omnib; & per omnia ὁμοιωθῆναι Heb. 2. v. 17. Ἐκ. 4. v. 15 πεπειρασμένον κατὰ πάντα καὶ ὁμοιω- τήσας ἡμῶν ἀμαρτίας. Hanc quoq; esse nativam & unicam hujus vocabuli significationem, loca cum plurima Scripturæ luculenter testantur. Rom. 1. v. 23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ, ἐν ὁμοιωματικόν φθάρτου ἀνθρώπου, &c. quod sanè non po- test pro substantiâ humana sumi Rom. 6. v. 3. dicimur σὺμφυτοὶ τῷ ὁμοιωματι mortis Christi &c.

Theſis 16. Secundò utitur Paulus vocabulo σχῆμα; inven- tus fuerat ut homo ἐν σχήματι. Quæ nam verò sit hujus vocabuli significatio, manifestum erit ex collatione loci Phil 3. v. 21. Ubi Paulus dicit: Corpus humilitatis nostræ μετασχηματισεῖται, transfor- mabitur, ut simile fiat corpori ejus glorioso. Confer 1. Cor. 7. v. 31 Ubi σχῆμα huj; mudi dicitur præterire, puta, annos, dies, menses mudi, pompas actionesq; humanas deleri, quæ fortiter ab hominibus sunt patrata, nec ullum esse qui post eorum obitum easdem con- siderat, sed ut anni pereunt, sic illæ pereunt unâ, per innumerabi- lem annorum seriem ex hominum memoriâ, recordatione ex- stirpantur, divelluntur. Quando igitur CHRISTUS dicitur, ἐν σχήματι inventus, dicit B. Chemnitius in suis locis communibus, nihil aliud intelligi quàm affectibus, gestibus, & totius vitæ actionib; non ut aliquis ultra reliquorum sortem exemptus, sed quasi quilibet a- lius è medio hominum numero. Usurpatur enim & hoc vocabulum σχῆμα pro externa conversatione. Sicut illud 1. Pet. 1. v. 14 Μὴ σχηματιζόμενοι: non conformetis vos pristinis cupiditatibus. Nam

CHRISTUS in statu exinanitionis exactè didicit ad mores hominum fragilium se componere, conversationem hominum non contemnens, sed habuit pro maximâ voluptate, inter filios hominum esse, cum illis edere, dormire, bibere, aliasque actiones operari, ut tota historia Evangelica satis monstrat. Lutherus in versione suâ sic quoque vertit (an Geberden) Eodem quoque modo vertit meus Avus (ἦν ἐν ἀνθρώποις) in Bibliis nostris Danicis (i schickelse.) Non verò aliud debere hoc vocabulo intelligi, quam externas actiones & operationes Christi, satis quoque emicat ex loco huic parallelo *Matth. 20. v. 28. sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & d. u. animam suam redemptionem pro multis.*

Thesis 17. Dicit Paulus porro: *Quod humiliavit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, & quidem ad mortem Crucis.* Quod dictum, majorem evidentiam nostræ adfert sententiæ ac apprehensâ manu ad indubium hujus dicti sensum ducit nos, ac quasi trahit, ut si vel maximè quis non voluerit in dictis acquiescere, hinc acquiescere tamen cogatur: Dicit Apostolus *usque ad mortem crucis*, ex quo quilibet potest planè & apertè judicare, nisi voluerit sibi ipsi sensum quendam fingere, & ex suo cerebro excogitare, hac phrasi *μορφήν & δόξα λαβῶν* intelligi non Incarnationem, sed solūmodo externas actiones. quas per totū suū humilationis statū exercuit post incarnationem. Habetur enim quod exinaniverit se usque ad mortem, i. e. quod toto vitæ tempore post nativitatem & conceptionem suam, ad gloriosam suam in cœlos ascensionē, humillimam obedientiam præstiterit Patri suo. Particula enim illa *τὸ μέγρι*, ut rectè monent nostri Theologi, non tam temporis quântitatem, quam obedientiæ suæ extensionem notat. *Conf. Heb. 2. v. 9. 14. c. 4 v. 15 c. 12. v. 2.*

Thesis 18. Manet itaque fixum & immobile, hanc phrasin *μορφήν & δόξα λαβῶν*, non esse Synonymum *INCARNATIONIS*, ac ea propter non verè & propriè ad *INCARNATIONE* referri posse. Quamvis haud facile negavero, Patres quosdam per formã servi quandoque ipsam humanitatem indigitare: fit tamen illud consecutivè, non verò *πρώτως καὶ κυρίως*. Forma servi mihi præsupponit humanitatem, hæc enim non præsuppositâ, non verè dici potest forma accidentalis. Formæ enim non sunt nisi habeant sub.

*μορφήν & δόξα λαβῶν
Incarnationem sunt
Synonyma*

subjectū in quo se exercere possunt. Homo non potest edere, bibe-
re, ambulare, nisi sit homo, & habeat corpus humanum. Illæ tn.
formæ, quæ proveniunt ex homine operante, nullâ ratione dici
possunt homo; sic quoq; forma, quæ hic attribuitur *CHRISTO*, nō
vere dicitur Homo, sed præsupponit Hominem, per quem formæ
& operationes istæ fiunt. Sunt etiam quidam ex nostris Theolo-
gis, & inter illos supra laudatus *B. Chemnitius*, qui eodem sensu
alicubi accepit, ut Patres dicti, ille n. in libro de duabus in *Christo*
naturis cap. 4. inter cæteras Unionis & incarnationis descriptio-
nes hanc recenset *Phil. 2. Formam servi assumpsit*. Sed ut supra di-
ctum: Ex sensu quorundam Patrum.

Theol. 19. Præter hæc vocabula, quæ in Mysterio incarnationis u-
surpari solent, excogitarunt quoq; multa alia Veteres tū Græci, tū
quoq; Latini. *Ignat.* in hoc mysterio solebat usurpare tria vocabu-
la, ἐνανθρώπησιν, ἐνσωμάτωσιν, οἰκονομία. Binis prioribus usq; est ad
Antiochenos, postremo verò ad Epheseos. Ἐνσωμάτωσιν reddi-
dit Tertullianus *incorporationem*, quod quoq; vocabulum sumptū
est ex dicto *Pauli Collos. 2.* Quia in *Christo* divinitas habitat σω-
ματικῶς. Vocatur igitur rectè hoc mysterium ἐνσωμάτωσις. Quū
verò verbū sit factum caro, hoc est homo perfectus, sumitur enim
ibi verbum Carnis Synecdochicè, ergò non injuriâ appellatur.
ἐνανθρώπησις, unde quoq; idem vocabulum suam sortitum est o-
riginem, quam latinè reddere *Inhumanationem* possumus. Tertiū
verò vocabulum, cujus usu maximè delectari solitus est *Ignatius*
sc. οἰκονομία, sumptum videtur ex *Paulo*, qui totum mysterium
redemptionis & officium Regni *Christi* vocat οἰκονομίαν *Eph. 1. &*
Collos. 1. Ratione verò appellationis sumptum est ex cap. 3. ad *Heb.*
ubi scribitur: *CHRISTUM non ut Servum sicut Moses fuisse, sed ut*
Filium super universam domum DEI constitutum, & in ejus admi-
nistratione fidelem esse. Quoniam igitur *CHRISTUS* hunc omni-
nò in finem humanam sibi assumpsit naturam, ut in maximâ &
potentissimâ domo Ecclesia *DEI* & regno *CHRISTI* omnia, quæ
ad redemptionem & reconciliationem nostrâ, collectionem Ec-
clesiæ, gubernationem, &c. procuraret in assumptâ naturâ huma-
nâ, per eam & in ea. Ea propter ipsa Incarnatio vocatur οἰκονομία.
Ultimum verò vocabulum post *Ignatium* tota Ecclesia Græca re-
cepit, imò ipse *Justinus* idem retinuit, *Theol.*

Theſ 20. Si quis eſt, qui cupit ſcire, quænam vocabula apud Latinos fuerint uſitatiffima in hoc myſterio, adeat Tertullianum & Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum reliquosq; , qui integram farraginem ſubminiſtrabunt. Hic enim omnia illa recensere, utpote brevitatis ſtudioſi, ſuperſedebimus.

Theſ. 21. Tria imprimis ſunt vocabula quæ ſcholasticis in hoc myſterio ſunt uſitatiffima *Incarnationis, Aſſumptionis, & Unionis.* Quæ vocabula ſecutus eodem b. m. D. Wilh. Lyſerus ante annum & quod excurrit Hoſpes & Præceptor meus plurimum venerandus, nunc verò deſideratiſſimus, in prælectionibus ſuis privatis in explicatione ſuper num. 200. Breviarii ſui, parte tertiâ quoq; retinuit. Autem hæc Vocabula realiter non differunt tantummodo denominatio alia eſt atq; alia. Sicut enim conſideratione unius extremi perſonæ divinæ ſimplicis ad ventum in carnem, ſeu *incarnationem*: & alterius extremi naturæ humanæ ſine ſubſiſtentiâ conſideratæ *carnis aſſumptionem* denominamus & conſideramus, ita ratione concurſus utriusq; extremi *unitio* hic ipſum idem myſterium appellatur.

Theſ 22. Nec deſunt qui Unionem & Unionem pari paſſu ambulare volunt: Verùm quantum inter ſe differunt Actus & Status, tantum quoq; inter ſe differunt Unitio & Unio. Pertranſit Unitio, manet Unio. Continuationis initium eſt Unitio, Continuationem verò in Unitione cœptam perficit, ac retinet. Unio, inq; illa manet invariabilis, manet perpetua.

Theſ 23. Myſterium dicitur à *μύω* occulto, quaſi *μύειν τὸ σόμα*, os obſignare vel *δὲ μύσαντες τηρεῖν ἐν δόν* h. e. occultare oportet intus. Quod quoq; vocabulum à quibusdam Theologis ſumitur pro Sacramento. Ita Sacramentum altaris, ſeu cœna Domini appellatur à Juſtino Apolog. 2. pro CHRISTO, Chryſoſtomo Hom. 38. in Mat Hom 23. in 1. Cor. *Μυſτήριον* cum adjectione *Φρικτὸν, Φρικτῶδες, Φρικτοδέσματον* h. e. myſterium tremendum.

Theſ. 24. Vocatur verò INCARNATIO Myſterium, quod omnia attributa Myſterii ipſi ſuo jure competant. Definit Myſterium Juſtinus in *ἐκθ. πρ 304.* quod ſit *ὑπὲρ νότον, ὑπὲρ λόγον ὑπὲρ κατάληψιν.* Tatianus ſic definit in oratione contra gentes;

τὸ

τὸ τῆς ἡμετέρας παιδείας ἐστὶν ἄποτερον τῆς κοσμικῆς καταλήψεως.
 Sic quoque; INCARNATIO est tale quid, quod superat & transcen-
 dit omnem captum humanum. Si enim post lapsum
 adamiticum mens humana ita obfusata, ita obtenebrata
 est, ut ne quidem possit indagare mentis Naturalia assequi; quan-
 to minus mysterium hoc singulare, divinum, supernaturale & hu-
 mano captui prorsus inconueniens, ab hominibus potest intelli-
 gi, potest perscrutari. Origenes *ἐπὶ δευτέρων* lib. 2, cap. 6. dicit: *Ex*
omnibus miraculis illud penitus admirationem humane mentis exce-
dit, nec invenit mortalis intelligentie fragilitas, quomodo sentire vel
intelligere possit, quomodo Dei verbum, potentia & sapientia, in quâ
creata sunt omnia, intra circumscriptionem ejus hominis qui in Judæa
adparuit, credenda sit, sed & ingressa DEI Sapientia vulvam fœ-
mina, nasci parvulus, vagitum emittere voluerit, &c. Casianus de
 Incarnatione lib. 4. *Rationem quæris dicti: Non reddo: DEUS*
hoc dixit: Verbum illius summa ratio est: Sola mihi ad credulitatem
sufficit persona dicentis; Quid mihi quærerere, quomodo verum sit, quod
DEUS dixit, cum dubitare non debeam, quia DEUS
dixit. Superat quoque hoc Mysterium Incarnationis sermonem
 hominum, excogitet homo tot verba, tot ornatus loquendi, tot fi-
 guras Rhetoricas quantum vel maximè voluerit, tamen hæc om-
 nia excogitata in collatione cum profundissimo mysterio nihil
 prorsus sunt. Conjugat centum Tullii vires, non tamen hoc my-
 sterium suâ svaילוqventiâ ingredi queunt. Vocat igitur hoc My-
 sterium Justinus *λόγον οικονομίας ἀρρήτον, Rationem dispensationis*
& Incarnationis ineffabilem. Imò ipse Spiritus DEI INCARNA-
 TIONI hunc titulum assignat 1. Timoth. 3. v. 16. *ὁμολογημένως*
μέγα ἐστὶ τὸ τῆς θεοθείας μυστήριον, & 1. Cor. 2. v. 7. dicitur: σοφία θεῶν
ἐν μυστηρίῳ ἄποκρυφμένῃ.

Theol. 25 Nec sumus adeò stupidi, ut concedamus Pontifi-
 ciis hoc Mysterium, ut & alia huic paria esse silentio involvenda,
 nec omnibus hominibus explicanda. Putant enim illi dignitatem
 mysteriis abrogari, si palam omnibus efferuntur; Sed errant sa-
 nè, & gravissimè errant audaculi isti, & errando sibi ipsis consola-
 tione quam ex iisdem mysteriis haurirent, totaliter privant. Non
 enim dignitas mysteriorum divinorum in occultatione, sed in-

C

ma.

manifestatione consistit, summa enim laus est divinæ bonitatis, quod DEUS ex summâ majestatis suæ sede prodiens hominibus se manifestavit, & in verbo suo salutarem sui cognitionem absq; ulla prorsus *περὸσποληψία* patefacere voluit. Quod verò cum Schola veterum Hæreticorum teste Irenæo lib 3 c.2, urgent pro theseos suæ confirmatione, Christum seorsim discipulis suis Parabolâ suas interpretatum fuisse, in illo præsidium prorsus nullum reperiunt. Quod enim Christus seorsim quædam illis interpretatus fuit, factum est propter fastidiosorum quorundam contemptum, quod auditâ parabolâ statim discedebant, nec interpretationem à CHRISTO expectabant, neq; petebant. Sed tantum de Etymologiâ Mysterii Incarnationis dixisse sufficit, jam inoffenso pede ad *πραγματολογία* ituris.

Thef. 26. Ut igitur sine morâ ad *πραγματολογία* festinemus, consideranda in illâ cum primis veniunt duo. Primum τὸ ἐστὶ. Secundum τὸ π' ἐστὶ.

Thef. 27. Τὸ ἐστὶ quod concernit, negant tum Ethnici & omnes ἄθεοι, tum quoq; Judæi. Diverso tamen modo, dispariq; ratione negant utriq; illi enim Christum in mundum non venisse nec incarnatum esse, nec unquam incarnandum putant, unanimiter & falsò. Hi verò illum non venisse adhuc, sed aliquando venturum esse ut sentiunt, ita expectant quotidie. Nec mirum est hoc, quod illi tam libidinosè tamq; nefariè sine ullo prorsus respectu, omni spe, omniq; fide de venturo Christo in carnem, vel dudum exhibito, se ipsos exhauriunt. A Diabolo enim Spiritualmente sunt obsessi, indurati corde, extra Ecclesiam vagantur, negantes scripturam totam, illamq; contemnescentes, spernentes. Cum ergò principiis careant omnibus istis, quæ veram de Christo *θεωθρόπω* notitiam præbent, nec se corrigi volunt, nolo cum illis modo agere, quum sint insanabiles, mihiq; propositum nunc non sit, veritatem Christianæ religionis Gentib; demonstrare.

Thef. 28. Hi verò (scil. Judæi) cum sint in Ecclesiâ, unamq; partem Scripturæ Sacræ, nempe V. T. nobiscum amplectantur, ea propter (quamvis gravis admodum sit ipsorum lapsus) tamen non tam procul aberrant ac Gentiles & Ethnici. Expectant verò hi Christum in carnem venturum, sed expectant frustra, venit enim

enim

enim dudum. Cæterum cum non possint ex N. T. convinci, quia illud non nobiscum accipiunt pro vero & genuino Instrumento Biblico, producam saltem ex veteri T. probationem illorum sententiæ contrariam Si enim ablatum est sceptrum à Judâ Gen. 49. quod factum est tempore videlicet Augusti Cæsaris Luc. 2 v. 1. Si temporarium Externum Davidis solium dejectum est, Psal. 89. v. 30. 37. 2. Sam. 7 v. 16. Jer. 31. v. 15. 17. 21. Es. 9. v. 7. Ezech. 21. v. 27. 2. Reg. 8. v. 19. Si templum secundum vastatum est, Hag. 2. v. 8, 10. Mal. 3. v. 1. Si locus Nativitatis Messiae Bethlehém eversus est, Mich. 5. v. 2. Si hebdomates Danielis impletæ sunt, Dan. 19. v. 24. seqq. Si oracula Ethnica defecerunt, extirpataq; est Idolatria, Zach. 13. v. 2. 4. Si ceremoniæ Leviticæ abrogatæ sunt, Jer. 3. v. 16. Dan. 9. v. 26. 27. (quæ omnia loca in unam cumulum congerit insignis & Divinus Patriæ meæ Theologus, D. CASPARUS BROCHMAND pro stringendis Judæis, in Articulo de Christo Θεοῦ θρώπων. cap 2. Quæst. VII.) Sequitur in mundum venisse Christum, Antecedens verum est, ergò & consequens.

Theol. 29. Quando verò nostris loquimur hominibus, in nostris Ecclesiis existentibus, non saltè recurrendum est ad testimonium V. T. sed etiam N. T. Quod enim in V. T. positum est obscurius, in novo planius & dilucidius exprimitur. Dicere n. solitus est B. Lutherus, Novum Testamentum videri sibi instar Solis, à quo V. T. instar lunæ suam mutuatur lucem. Otiosa enim ac superflua non sunt quæ Spiritus Sanctus dicit in N. T. de incarnatione Luc. 1. v. 35. Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit Tibi. Job 1. v. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Heb. 2 v. 14. Quia ergò pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem & v. 16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, &c. Ex quibus dictis nos indubiè asseveramus & statuimus, venisse Christum in mundum, incarnatumq; esse, parum curantes quid dicant Judæi: Mutilatam enim non admittimus scripturam, N. T. eodem in æstimo, eodemq; in numero cum V. habentes.

Theol. 30, Alteram quod in hâc Πραγματολογία notandum

C 2

Probat̃r Messiam
venisse.

dum erit, est τὸ τί ἐστίν. Antequam verò hoc Mysterium definiam, consultum erit, omnia, quæ ad hoc mysterium cognoscendum pertinent prælibasse prius, quò eò melius tutiusq; definitio demum strui possit.

Thef. 31. Offerant verò se hîc primum duo ista extrema Divina & humana natura, quæ materiæ vicem, (nam hic materia aliqua Physica non erit fingenda, sed ἀναλογικῶς & σχετικῶς sic dici potest materia) sustinent, quæ in unâ Personâ & ὑποστάσει concurrunt. Omnium itaq; Theologorum nostrorum communis constansq; est assertio atq; sententia: Christi personam in se duas distinctas habere naturas, divinam alteram, humanam alteram. Probatur verò hoc tum in genere, tum quoq; in specie.

Thef. 32. In genere probatur hoc ex nominibus Christi tum humanam ejus naturam, tum quoq; divinam in se continentibus. Inter illa verò nomina eminent illa bina, JESUS & CHRISTUS, quorû prius est ab Hebræo radice ישי, & significat Salvator, in Hiphil ישיהו. Salvavit, servavit, liberavit, juxta explicationem additam ab ipso Spiritu DEI *Matth. 1.* Posterius verò diductum est à Græco ἔλαιον, ungo, quia Salvator noster oleo lætitiæ, plenitudine sc. Spiritus sancti unctus est. Causa verò cur nomine Hebræico cognomine verò Græco se insignire voluit, nulla alia fuit, quâ quia ipsi placuerit tale nomen ex duabus lingvis gestare, ut hisce suis nominibus ostenderet se utriusq; Testamenti, ac utrarumq; lingvarum in iisdem esse Autorem primum, ac ut insinuaret se & Judæorum & gentium esse Salvatorem. De horum nominum derivatione, de Judæorum contemptu, ac variis falsis, & lusoriis originibus nolo scribere, rationem brevitatis habens. Scire hæc qui desiderat, adeat Gerhardum, qui in Exegesi suâ 1113. 1114. 1115. 1116. 1117. & p. 1122. 1123. seqq. hæc omnia maxima cum industriâ, maximoq; labore collecta, ipsi suppeditabit. De nomine JESU videatur *Glassius Philol. Sacr. Libr. IV. p. 774.* De nomine CHRISTI *idem in Rhetor. Sacra Lib. V. p. 432. & pag. 294.* Conferatur quoq; hæc de rectè noster *Brockmannus in System. Theol. prim. p. 846. 847. seq.* Competunt verò hæc nomina CHRISTO & secundum divinam & secundum humanâ naturam, pertinent enim πρώτως ad

hinc Græco et
Hebræo nomine
insignitur.

ad eius officium, *ἀπαλλάττω* & consequenter ad personam. Sic etiam ille idem Jesus dicitur **לְנוֹרָא** Redemptor *Job. 19. v. 25. Es. 35. v. 20.* quod quoque; eius nomen, ut est nomen Personæ, ita & officii; Indigitat enim idem nomen, non solummodo eius naturam humanam, sine quâ Redemptor seu **לְנוֹרָא** noster esse nequaquam potuit. Concretum enim, suum abstractum præsupponit, cum ab hoc seu forma sua denominationem suam sortiatur. Provenit autem hoc vocabulum **לְנוֹרָא** à **לְנוֹרָא** quod est resolvere, reducere per certam pretium jure consanguinitatis. Veluti illud vocabulum quoque; vertit clarissimus hujus ævi interpres Glassius, in Oratione sua de lingvæ Hebrææ necessitate & utilitate: Verba ejus sunt. *Quis nescit, sæpius de Liberatore nostro Christo Jesu in Scripturis usurpari vocem לְנוֹרָא? Quotus verò quicquid est, cui de vi & Emphasi ejus vocis ex asse constet, nisi Hebraum ipsum adeat fontem, & ex imo quasi fundo significationem ejus arcessat. Latinus per vocem Redemptoris, Hebraicum illud vocabulum exprimit: Dicitur aliquid, sed non omne. Græcus λυτρωσῖς dictionem adhibet: Plus dicitur, & per soluti pretii, quod in redemptione necessarium est, mentione insertâ ἐμψυχωπικωπῖρος quàm in latinâ voce id dicitur: At nondum tantum pondus vocis exhaustum. Significat enim Hebraum vocabulum propriè & accuratè loquendo, ejusmodi assertorem & vindicem, liberatorem & Redemptorem, qui jure consanguinitatis motus, causam propinqui sui interfecti asserit, ejusque sanguinè vindicat, vel qui bona à consanguineo proximo donatione vel venditione, vel quoquo modo devoluta, & contractu quodam implicata, jure proprietatis pristinae ei rursus asserit & vindicat* **לְנוֹרָא** vertit B. Lutherus, *Erlöser / Retter / Vindex*, quia Christus vindicat nos contra homicidam nostrum Diabolum. In versione nostrâ Danicâ iteratâ vertitur ex genuino textus Hebraici sensu, (*Brælsere Löfere paa Slectens vegne.*)

Thef. 33. Sic quoque; dicitur *Judic. 13. v. 18.* **לְנוֹרָא** Admirabilis ut & *Es. 9. v. 6.* Quo vocabulo non solummodo indicatur ejus Persona, verum & ejus officium, atque; ita tum divina, tum quoque; humana ejus natura, quæ æquè ac altera est admirabilis, propter illarum duarum naturarum unionem, mirabilem conceptionem,

*Explicatio genuina
Gott!*

mirabilem nativitatem, & mirabilia omnia quæ exercent ambæ. Vocatur quoq; noster *Μεσιτης Mediator*, 1. *Tim.* 2. v. 5. *Hebr.* 8. v. 6 *cap.* 9. v. 15. *cap.* 12. v. 14. Vocatur quoq; *Matth.* 1. noster *IMMANUEL*. *Es.* 7. v. 14. Quod est, si interpreteris *Matth.* 1. Nobiscum *DEUS*. Ut hoc Vocabulum est nomen Personæ *πρωτος* sic *δευτερος* nomen officii, & utramq; naturam repræsentat. Nec obstat, quod quædam ex hisce vocabulis tribuantur *CHRISTO* antequam nasceretur. Est, ut *Chrysostronus* ait 1. *cap.* in *Matth.* *Mos Scripturæ est, eventus rerum ponere loco nominum.* Habentur prætereà multa alia nomina in sacra Scripturâ, quæ ipsi tribuuntur & ratione personæ & officii. Sic ratione Prophetici officii dicitur *Pastor*. *Ezech.* 34. v. 23. *Pastor ille bonus* *Joh.* 10. v. 11. *Propheta* *Deut.* 18. v. 15. *Rabbi* *Marc.* 9. v. 5. *Consiliarius* *Es.* 9. v. 6. Respectu sacerdotalis officii, *Pontifex magnus* *Heb.* 5. v. 10. *Pontifex fidelis* ad propitianda delicta *Hab.* 2. v. 17. noster *Advocatus* 1. *Joh.* 2. v. 1. *Propitiatorium* *Rom.* 3. v. 25. Respectu officii Regii vocatur noster *Rex* *Es.* 31. v. 27. *Dux & Autor salutis* *Heb.* 2. v. 10. &c. Sic etiam vocabulo Ecclesiastico nominatur *ἱεραρχος*.

Thef. 34. Non tamen in hunc gravissimum errorem nobis erit prolabendum, ut putemus, impossibile esse Divinâ existente naturâ, humanam uno eodemq; tempore in uno eodemq; supposito, vel existente humanâ naturâ in *CHRISTO* divinam unâ existere posse: Non enim sunt, sibi invicem contrariæ, sed solummodo differentes. Jam verò duæ differentes res in uno supposito simul esse simulq; conjungi possunt, constat enim homo animâ immortali, mortaliq; corpore. Nec illorum alteri altera in hoc mysterio vel opponi debet; vel potest; Negata humana natura, negatur divina, & rursus negata divina, negatur humana natura. Non enim agit una sine communicatione alterius (*quod ex secundo & tertio genere communicationis Idiomatum facile demonstrari potest*;) Sic dicit Lutherus in Confess. majori Anno 1578. Tom. 3. Jenensi fol. 455. Weil die Gottheit und Menschheit in Christo einer Person ist / so giebt die Schrift um solcher Persönlichen Einigkeit willen / auch der Gottheit alles was der Menschheit wiederfähret / und wiederum Judæorum itaq; falsa fuit persuasio, qui *Joh.* 6. v. 33. humanam *CHRISTI* naturam opponebant divinæ, cum di-

dicebant **CHRISTO**: *De bono opere te non lapidamus, sed de blasphemia, & quia tu homo es, facis te ipsum DEUM*. Eandem quoque rotam agit Photinus, respiciens enim ille fragilitatem humanam, fragileque corpus & fragilia omnia, quæ Christus sibi assumpsit, naturam assumendo humanam; Se captu ac ratione suâ fragili vinei permittit, divinam naturam ipsi una non posse competere existimans falsò. E contrario verò surgit Manichæus, respicit ille admirabilia opera, quæ præstitit filius Dei, & humanam naturam confiteri detrectat.

Thes. 35. Quum itaque verum sit, ut dixi, illum qui unam ex hisce naturis negat, haud tolerabilius vel lenius errare, quam illum qui negat utramque, diverlosque circa utramque naturam habeamus hostes. cum quibus in arenam cogemur descendere, rem haud frustraneam me facturum confido: Si **IN SPECIE** quoque singularem & quamlibet naturam per se pertractet, eamque certis & immotis fundamentis testimoniisque Biblicis contra adversarios de probatâ.

Thes. 36. Dicimus hic primò in Christo naturam divinam esse, nec hoc solum, verum & dona divina vera & naturalia, ac ea propter illud esse verum Deum. Non instituo modo collationem V. T. cum N. In Veteri enim Testamento, quot & quanta sint, quæ de vero DEO & Jehova dicuntur, & in Novo ad Filium applicantur, neminem potest latere. Referri huc potuissent minima haud nec exigua, sed multa & innumera, quæ lucem haud minimam Divinæ Christi naturæ potuissent adferre. E. g. Qui Israëliticum populum liberavit ex Ægypto, est verus Jehova Exod. 20. v. 2. Deut. 32. v. 12. *Jehova solus duxit eum, nec fuit cum eo alius.* Sed Christus populum ex Ægypto eduxit, Epist. Judæ v. 5. volo vos istorum commonefacere, ut qui semel hoc scientes, *Dominum* (in vulgata versione **JESU** nomen additur) *cum populum ex Ægypto liberasset, rursus eos qui non credebant perdidisse.* Quem Dominum affirmant v. 4 esse **JESUM CHRISTUM**. Plura addere nolo. Vid. Iren. lib. 3. adversus hæres, c. 6. p. 175. Nec tangam Oracula V. T. quæ cum de DEO vero & æterno agant, in Chaldaicâ versione ad Messiam accommodantur, ut Esa. 45. v. 17. *Israel salvatus erit ביהוה* salvatione seculorum. De hisce videatur Galatinus, Weidnerus in loc. fid. præcip. Tract. 2. p. 190. ut & Helvicius Disp. contra Judæos.

Thes.

Quædam Christiani

Thef. 37. Sexcenta possunt ex Scripturâ produci testimonia, quæ divinâ Christi essentiâ & naturâ æternâ nominaq; divina demonstrât. Inter omnes verò probationes eminet illa, quâ Christus ipse pro suâ naturâ probanda adducit. Eadem verò habetur Joh 5. v. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25 &c. Ubi se contra Judæos defendit, & comprobât suam divinitatem, quam Judæi non credebant, sed constanter negabant, imo ob hanc ipsam causam, quod se æqualem patri fecerat, conabantur illum interficere. Hoc testimonium, si vel maximè ne vel unum præterea daretur in sacrâ Scripturâ, sufficeret certè. Probantur enim ex hoc Christi testimonio de se ipso, Attributa ejus tum Essentialia, tum quoq; Personalia, opera ejus divina, & cultus divinus. Verùm ut eò melius adversariis nostris satisfieri possit, provocare illos lubet, quid ex illis quilibet singulare de hac divinitate Christi statuunt exploraturi.

Thef. 38. Hæreticorum verò ista monstra portentosa in tres præcipuè se dispescunt classes. Omnium primi fuere CERINTHUS & EBION ad primam igitur referendi classem Existimabant hi fingebantq; personam Christi ante Mariam non extitisse, De CERINTHO, profert talia verba Iren. lib. 1. cap. 25. CERINTHUS, quidam in Asiâ docuit, JESUM non ex virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est) fuisse autem eum Josephi & Mariæ filium similiter ut reliqui omnes homines, & plus potuisse justitiâ & sapientiâ & prudentiâ præ omnibus. Et post Baptismum descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est supra omnia, figuram columbæ, & tunc annunciasse incognitum Patrem & virtutes præfecisse, in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse, resurrexisse; Christum autem impassibilem perseverasse existentem spiritualem. De Ebionæ verò l. 3. c. 24. dicit Iren. Ebionæi ex Josepho Christum generatum esse dicunt, Profiliit ex Orco 20. post annos Paulus Samosatenus. Hic, cum ex sordido & contempto loco in summum dignitatis & honoris fastigium evectus esset, (electus enim est ad Episcopum Antiochenum Anno 270.) ex isto felici fortunæ flatu, erigere cristas, superbireq; incepit. Usitatam Ecclesiæ doctrinam despiciens, Sophistarum dogmata gestusq; arripuit, sibiq; reddidit familiares perquam. Docebat igitur in publico: Unum esse Deum, & in DEO semper esse illius Verbum & spi.

Error Cerinthii et Ebionis.

Error Samosatensis et Origenis.

spiritum ipsius, sicut est in eo sapientia, justitia, bonitas. Et nec verbum, nec Spiritum esse ἐνυπόστατον. Jesum verò dicebat esse communem hominem, in quem Pater inspiravit verbum suum: Et illud verbum dicebat operatum fuisse in isto homine miracula, sicut in aliis sanctis, licet excellentiori modo. Fuere verò eodem tempore è vicinia Episcopi cum plurimi, qui non alium in finem convenerunt, quam ut blasphemiam istam retunderent. Verum cum SAMOSATENUS verbis suis pomposis auctoritatem sibi acquisivisset maximam gratiamq; populi, cogebantur sæpiùs re infectâ abire Tandè cum ad Aurelium imperii summa fuerat devoluta, explorata in Concilio Antiocheno Anno Domini 279 ejus causâ, convictisq; ejus erroribus atq; dogmatibus, excommunicatus est Samosatenu: Hic verò cum Ecclesiâ discedere detrectasset, jussit Aurelius servos, ut obtorto collo apprehensâq; manu de Ecclesiâ illū expellerent Historiâ ejus latè pertractat Epiphanius l. 2. Contra Hæresis Tom. 2. Hæres 65. Post mortem Samosateni circa annum Domini 345. sepultam & oblitteratam prorsus Samosateni hæresin de novo recipere conabatur Photinus, dixit enim ille, Christum in Mariâ cœpisse primum, & illam personam post-hac jam durare. Verum in Concilio Smyrnensi, quod celebrabatur sexto anno Constantini Anno Domini 346. (qui fuit annus post susceptam hæresin subsequens) disputabat contra illam Sabinus, Ecclesiæ, quæ tunc Amyntæ fuit, Præsul, ut satis constat ex Historiâ Tripart. lib. 5. c. 5. 6 7. & 8. Motus verò & excitatus Evang. Johannes ex Ebionis & Cerinthi hæresi, Evangelium suum scribere cœpit, quod Hæreticorum sententiis opposuit, eodemq; eas confudit totaliter, Quod testatur Irenæus lib. 3. c. 11. p. 184. Hieronym. in Proœmio Comment. in Matth.

Thes. 39. Nostrâ ætate surrexit Servetus (qui non in Lutheranorum Scholâ, ut falsò narrat Bellarm. sed in academiâ Muhametica fuit instructus) hunc errorem per multorum annorum decursum longè lateq; circumsparsit. Hic anno 1555. ex publico edicto & mandato Senatus Genevæ ad instantiam Johannis Calvinii, propter blasphemiam crematus est igne. Quo cum faciens Mahometus (qui natus fuit viliori prosapiâ, in pueritia venditus era à mangonibus Abdimenepli mercatori ditissimo, cujus viduam sibi postea in matrimonium associavit, perq; idem matri-

D

mo-

Error Photini et

Error Serveti.

*Error et origo
Matth.*

moniū ingentes sibi acquisivit opes, posteaq; cū diē suum obiisset
ejus uxor, Principis cujusdā Arabici filiā ambiit & obtinuit. Atq;
ita cum jam multæ provinciæ tum Ethnicorum, tū Judæorū, tum
qvoq; Christianorum sub jure & ditione ejus fuissent redactæ, no-
vam quandam religionis formam suis regionibus præscribere,
constituit: conscripsit itaq; suum Alcoranum (quē sibi à Gabriele
Angelo addictatum mentiebatur) ac in illo affirmabat: Christū
esse magnum Prophetam & Legislatorem, cui DEUS ipse animā
suam inspiravit, sed tamen non esse verè DEI filium. Hi verò
omnes vocati sunt *ἀνυπόστατοι*.

Thef. 40. Ex hisce moderni nostri Muhammedani, & Photi-
niani suam traxerunt originem. Quamvis verò hi non desinant se
excusare, & ab omni errore defenditare, dicentes se veram Christi
Deitatem & credere & confiteri. Sic enim Socinus contra Bellar.
& Wiekum p 51. *Apertè falsissimum est, nos palam affirmare, Christū
nō esse verum Deum imò contrarium publicè profiteamur, & in nostris
tam Latina, quam Polonica lingua non paucis editis scriptis, Christum
verum Deum esse asserimus.* Schmalz. in Exā, 157. errorū p 4 Chri-
stum vocat filium DEI naturalem. Latet tamen angvis in her-
bā: Observant illam Hæreticorum regulam ab Irenæo scriptam:
Ὅμοια λαλεῖν, ἀνόμοια δὲ φρονεῖν. Si enim illorum sententiam
cum nostris contulerimus, illam à nostris distare tantum, quan-
tum à summo cœlo infima terra, satis fiet compertum. In nativi-
tate enim illi Christum primū factum esse verum naturalē DEI
filium, antea verò non fuisse, ac ea propter non esse *ἀληθινὸν θεόν*, i.
e. *θεὸν φύσιν*, sed *θεὸν κατὰ χάριν*, propter dona divina, ipsi data in
tempore, existimant. Nos verò illum extitisse ab omni æternitate
unā cum Patre in eādē, & indivisā essentiā, ac ea propter eum
eandem cum Patre habere dignitatem, eademq; attributa essen-
tialia asseveramus.

Thef. 41. Infirma valdè labiliaq; fundamenta habent illi iidē,
quib9 suam sententiam superstruunt. Inter illa ponam unicum:
Tradunt enim hanc regulam: Nomen Θεός cum articulo, solum
verum Deum notare, sine articulo vero minimè. Jam verò nullibi
in totā sacra Scripturā. ajunt, θεός cum articulo, Filio Dei Chri-
sto adscribitur, ergò non potest dici verus Deus. Sed quā mani-
festè falla sit illorum oppositio, videt quilibet: Ad Majorem: No-
tum

ia fundamenta
divinitatem.

tum Θεός, cum articulo quandoq; etiam Θεός λεγόμενος adscribi. Act. 7, 43 c. 14 n. 2. Cor. 4, 4 Præterea Θεός sine articulo tribuitur vero DEO. Matth. 4, 4. c. 5, 9. &c. Job. 1, 6. 12. 13. 18 & multis aliis in locis. Ad minorem. Ut in totum Photinianorū satisfieri possit Argumento, producaturo locus Job 20, 28, ubi sic dicit Thomas, ὁ Θεός μὲν, cum articulo. Hic se reos fateri coguntur Photiniani, quod enim obvertunt illi, pronomen μὲν impedire, quo minus de vero DEO illud sit accipiendum, Iudicium est. Nam quis non videt particulam μὲν magis Christi divinitatem confirmare, quam destruere. Apparet igitur quantum virus sub lingvâ illorum melliflua lateat.

Thef. 42. Quum verò unum solummodo sit, quod ipsis tam vanas & periculosas peperit opiniones, nempe negatio æternitatis Christi, undè omnes reliqui tanquam ex fonte profuerunt errores. Fatentur enim Photiniani ipsi, se esse victos, si vel unicum dictum Christi æternitatem stabiliens, possit adferri. Sic enim ait Ostorodus in inst. Germ. c. 8. *Si demonstrari posset Christum fuisse ab æterno, simpliciter ex eo concludi posset, quod habeat divinam naturam, h. e. quod sit unus verus DEUS.* Nolumus igitur multa argumenta vel dicta ex Scripturâ cogere, quum probatio veritatis nõ tam in acervo dictorum, quam dictorum pondere consistat. Sumamus unicum dictum quod exstat, in Epist. Pauli ad Hebræos c. 13.

8. Ἰησοῦς χριστὸς θεὸς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τὰς αἰῶνας. (de Canonica autoritate hujus Epistolæ nolumus dubitare, comprobata enim illa satis est à Gerharo in loco primo de Scripturâ sacrâ in Exeg. à p. 280 ad p. 298) In hoc loco agitur de immutabili DEI æternitate. Quod satis testatur temporis descriptio secundum omnes tres dimensiones subjecto assignata. Sic & Apoc. 1 4 dicitur ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Ad stipulatur huic nomen ἡνῆ quod tres in se habet syllabas, quarum prima Futuri, secunda præsentis, tertia verò Præteriti Characteristicam habet. Ex textu igitur Paulino inferri potest nihil aliud, quam æternitas ipsa. Obstat nihil, quod tres hæc temporum vices, tria q; momenta recensentur, conjungit enim ille omnia tria, per q; illa nihil aliud indigitatū vult, quam unam immutabilem æternitatem. Si enim de Deo & de divinis singula hæc momenta temporū in scripturis accipiuntur pro æternitate, quantum magis hic conjunctim sumpta pro æterni-

Explicatio dicti Heb
13.8. & Photiniani

tate accipi possunt ac debent. Heri enim $\chi\theta\epsilon\varsigma$ in Hebræo הֵרִי interdum sumitur pro temporis brevitate, ut *Sam. 19, 20.* הֵרִי Heri venisti, h. e. nuperè venisti, & הַיּוֹם Hodiè moverem te ad eundem nobiscum? Sic *Job 8, 9.* הֵרִי Heri sumus, nec experti sumus, h. e. nuper nati, q. d. Hesterni sumus. Interdum sumitur pro antecedente tempore; Sic *Mich. 2, 8.* הֵרִי At heri populus meus quasi hostis iurgebat. Sumitur demum Vocabulum idem הֵרִי pro æternitate, ut *Es. 30, 33.* Ubi Assyriaco Regi à Propheta denunciatur interitus, tam animæ quàm corporis. Dicitur præparata est הֵרִי ab Heri הֵרִי i. e. exitii locus. Designat n. idem vocabulum quoq; infernum Sic vertit Lutherus (*Grube de quo Jer. 7, 31. & c. 14, 6. Latius. Das laut von der Hellen / und ewigen Feuer*) Danica nostra Biblia sic vertunt (*Grav eller en underlig Honelse til Moloch Behenna*) *Conf. Gerb. de hoc vocabulo Tom. 9. locorum Theolog. de inferno S. 16.*) Si verò הֵרִי Heri hoc loco attribuitur inferno, sequitur quod etiam æternitatem idem significet. Quod patet ex *Matth. c. 25, 41.* $\text{Πορθεῖτε ἀπ' ἐμῶν οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ.$ Pari ratione alterum vocabulum Hodiè, הַיּוֹם non solum tempus præsens indigitat *Psal. 95, 7.* הַיּוֹם hodiè si vocem DEI audiveris, h. e. præsentì hoc & quovis alio tempore, quo verbum gratiæ divinæ tibi prædicatur, *Hos. 4, 5.* Itaq; corrues הַיּוֹם h. e. tempore isthoc & propediem. Verum etiam pro Æternitate, ut *Psal. 2, 7.* *Dicit de Christo David: Filius meus es tu, ego te genui* (Hunc verò Psalmum non ad Davidem, nec ad temporale quoddam regnum, sed ad Christum ipsum pertinere, contra imperitiam quorundam & blasphemam Phœrinianorum linguam, prolixius probat *Gerhard. in Exegesi sua p. 1095. 1096. ut & p. 1176.* tum ex scopo Psalmi, tum ex toto Contextu, tum ex singulis rebus, tum ex Apostolorum in N. T. sensu *Hebr. 1, 5.* tum quoq; ex veterum Judæorum suffragiis, Probatur idē etiā diductè *Tō 4. diff. Gieß. diff. 5 p. 117. 131. & 247.*) Dicit August super hūc *Psal. 2. Hodiè præsentia significat, jã verò in æternitate nec præteritū quicquã est, quasi esse desierit, nec futurū quasi nõdū sit, sed præsens tantū.* Theol.

Psal. 2 de personam agit.

Thef. 43. Schmalzius contra Franzium p. 98. dicit JESUM hic sumi Metaphoricè veluti *1. Cor. 11. v. 7.* Si quis vellet alium JESUM prædicare, h. e. aliam doctrinam de Christo, & *Eph. 4. v. 21.* Vos sic didicistis Christum h. e. Doctrinam de Christo. Sed frustra & immeritò hanc vim textui inferre conatur. Hic enim describitur Christus Salvator noster à suâ simplicissimâ tum Deitatis, tum officii immutabilitate, quod satis constat ex locis parallelis. *Heb. 1. v. 12.* & *Psal 102. v. 28.* Postea *v. 9.* concludit: *Doctrinis variis & peregrinis nolite adduci, optimum enim est gratia stabiliri cor non efecis, &c.*

Thef. 44 Ne verò ulla vel minima rimula elabendi Photinianis detur, consideranda illa particula *αὐτὸς*, quæ ut pluralitati Deorum opponitur; *1. Cor. 12. v. 4. 5. 6.* Divisiones gratiarum sunt, *τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα*, Divisiones ministracionum sunt, *καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος*, Divisiones operationum, *ὁ δὲ αὐτὸς ἐστὶ Θεός, ὁ ἐνεργῶν, τὰ πάντα ἐν πάντιν*, Sic quoq; immutabilitati, ut loco supra allegato *Ebr 1. 12.* Velut amictum mutabis illos, & mutabuntur, *σὺ δὲ αὐτὸς ἔτι, καὶ τὰ ἔτη σὺ σὺ κέκλειψον*, Concidit itaq; delirium Photinianorum, quando Christum dicunt, non ab æterno extitisse unâ cum Patre, concidunt quoq; deliria alia ex hoc delirio provenientia, juxta propriam illorum confessionem.

Thef. 45 Solèt prætereà nostri Theologi producere ex Scripturâ hæc testimonia, quod Christus dicitur fuisse ante Abraham *Job. 8 v. 58.* ante Johannem *Job. 1. 15.* Quamvis verò (ut dicit D. Gerhardus in Exeg. p. 1167.) ex istis dictis non possit tam crudè & rudè inferri, Christus fuit ante Johannem Baptistam, ergò existit ab æterno; tamen contra Photinianos, qui initium existendi Christum, in suâ ex Mariâ Virgine nativitate sortitum fuisse asserunt, ac inter generationem ab æterno & conceptionem ex Mariâ Virgine nihil intermedium agnoscunt, rectè ita concludi potest: Christus existit ante suam ex matre nativitatem, Ergò est ab æterno à Patre genitus & æternus DEUS. Imò ipse Gerhardus in Tom. suo primo Locor. Theol. eadem dicta contra Photiniano-ram insultus defendit. Contra Arianos autem & cæteros Hæreticos non valet illa collectio, ut ex illorum confessione apparebit, Sed nolo hic commorari longius, Ad alteram classem.

Thef.

Thef. 46. Ad alteram classem pertinent Carpocratiani & omnes, qui Basilidem secuti sunt, qui concesserunt quidem in Christo præter humanam naturam, esse aliquam alteram coelestem naturam, sed blasphemarunt, non esse ejusdem substantiæ cum DEO Patre Creatore, sed esse alterius generis substantiæ & virtutis. Ex horum pulvere natus est Arius demum, qui cum Sarmosateni errorum vix persistere posse deprehendebat, remedium excogitavit aliud, communi receptâ sententiâ haud contentus, sed ambitione summâ & invidiâ, quam ex Alexandri in Episcopatum promotione capiebat adactus, Anno Domini 520 invenit hoc delirium; Verbum quidem ante incarnationem, & quidem ante creationem mundi *πρὸ χρόνων, καὶ κινήσεων* fuisse personam, naturâ præstantiorem multo quàm vel Angelica vel humana sit, ideoq; dixit illi communicari titulum DEI. Negavit verò illam personam esse naturâ verum Deum; Voluit igitur Christum esse creaturam DEI, & esse à DEO factum, ac ea propter non esse Dei filium naturalem sed adoptivum, nullam habere potestatem nisi à DEO donatam, aliosq; errores fovebat complurimos. De eij9 *Heresi vide Niceph lib. 8. c. 5. De ejus morte, inter testimoniorumq; rupturâ eundem lib. 8. c. 41. Videatur quoq; Euseb. de vitâ Constantini lib. 11. cap. LX. Historia Eccles. Soerat. lib. 1. c. 3. & c. Sozomenus Hist. Ecclesiast. l. 6. c. 14. Vocati igitur hi omnes ἐπιπότοι.*

Thef 47. Præcipua argumenta, quibus suâ hic Arius suffulciebat sententiam, satis apparent, si observetur solummodo, quomodo Aseclæ Arii *δοξολογίαν* Ecclesiasticam immutarunt: *Gloria Patri per filium in spiritu Sancto*, idq; ex hoc prætextu, quod Arius dixit, *ἦν ὅτε οὐκ ἦν*: *Fuit tempus, quando non erat.* Hisce verò verbis, *Gloria Patri & Filio & spiritui Sancto*, Concilium Nicænum addidit verba ista pro probandâ Filii & Spiritus Sancti æternitate: *Sicut erat in principio & nunc & semper.* Denegant ea propter, non solummodo Filii æternitatem sed & Spritus Sancti, Per illud PER (*διὰ*) intelligunt *Ariani* Christum saltem fuisse, in operibus divinis, Causam instrumentalem: Ut *Hebr. 1, 2. Constituit Heredem universorum, διὰ ἧς per quem fecit & secula Conf. Col 1. 16. Job. 1, 3.* Sed Ariani nihil possunt ex hâc particulâ Divinitati Christi denegare, nisi eâdem particulâ velint unâ Deitatem Patris destruere.

Arii error et origo

per semper etiam in Arii
talem habet.

struere. Tribuitur enim eadem & Patri, & Filio & Spiritui Sancto, multis in locis Scripturae Sacrae, *Vid. Rom 11, 36. ὅτι ἐξ αὐτῶ καὶ διὰ αὐτῶ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Eph. 4, 16. Col 2, 19. Rom 5, v 5.* Porro Particulam (*Διὰ*) interdum sumi pro Causa Efficiente principali, interdum pro causa Ministeriali, & instrumentali, nunc de causâ formali, nunc finali, in Scriptura sacra, nunc quoq; de causa materiali apud prophanos autores usurpari, demonstrat *Glass. in Phi. Sacra Lib. III. p. 539.* Accedit huc quoq; illud: Creationem non solum tribui CHRISTO in casu obliquo, sed & in casu recto. *Pf. 102, 26. Heb. 1, 11. Tu Domine fundasti terram.* Si verò aliquid *Ariani* ex hoc articulo PER, velint inferre, nihil aliud inferre possunt, quam ordinem, nempe quod sit secunda Persona TRINITATIS: Causa enim instrumentalis, hoc in loco inferri nequit, ut ostensum est. Non autem erit dissimulandum, antiquos Patres ut & superiori seculo nonnullos nominasse aliquando Filiū Instrumentum Patris; Verum alio sensu quam *Ariani*. Non enim intellexerunt illi per instrumentum, instrumentum aliquod separatum, quale est malleus, serra, cæteraq; instrumenta, quibus artifex ad opus suum perficiendum utitur, sicut *Ariani*; Verum Instrumentum, quod in unâ essentiâ unitum erat, quali ratione manus dicitur instrumentum hominis. Sed propter *Arianorum* exortam hæresin, ab illâ phrasi abstinendum esse, Theologi nostri monent.

Thef. 48. Illud *Heb 1, 2.* Pro illis itaq; nihil facit, quin potius videtur mihi *Arianos* id citando, seipso proprio jugulare gladio. Destruitur enim ex hoc eorum opinio stulta atq; vesana, quâ dicebant; Christū fuisse quidē ante tempora, non tñ. ab æterno. Imò, inquam, si fuit ante tempora & secula, i. e. mundum, & per ἀρχὴν ante omnia. *Job. 1, 2. Col. 1, 16.* Universa in cœlis & in terrâ, &c. hæc q; omnia fecit ipse, sequitur illum fuisse ab æterno. Quod enim ante tempora fuit, non potest dici in tempore factum, sed ab æterno fuisse, i. e. sine omni tempore. Fuisse enim ante conditum mundum, & existisse ab æterno, esse ἰσχυρὰ μὲντα probat Spiritus Sanctus in istis locis, in quibus Æternitatem describit *Pf. 90, 3. Prov 1, 24. Job 17, 3. &c.*

Thef. 49. Urgent quidem illi è contrario dictum *Job. 1, 15.* ὁ ὁπίσω μὲ ἐρχόμεν & ἐμπαροῦεν μὲ γέγονεν. Quod sic vertit vulgata

An Filij Dei possit esse
omne Instrumentum

Explicatio dicti Job.

Acceptioverbi ἔμπροσθεν
γενέσθαι.

gata interpretres: *Ante me factus est*; quæ obscura versio ansam dedit
Arianis Filium blasphemandi, Exponunt enim illi hunc locum,
de ortu & origine Filii, quasi sit perpetua vis verbi γίνεσθαι, ut na-
tura alicujus condita originem declaret. Rodundo ore sic inter-
pretantur ἔμπροσθεν μὲν γέγονε, sive ἐγένετο, quasi significet πρὸ
ἐμὲ ἐκτίσθαι: Creatus est priusquam ego. Sed quam ridicula illo-
rum sit interpretatio, facile perspicitur. Nam (1) ne vel unicum
exemplum in N. T. reperitur in quo ἔμπροσθεν declarat tempus.
Ex profanis quidem autoribus multa exempla adduci possunt, u-
bi ἔμπροσθεν refertur ad tempus ut in Platone de legibus, ἔμπρο-
σθεν νομοθετεῖν, id est: priusquam leges ponam, in Plutarcho in Galba:
ὀνομάζεται πολλὰς ἔμπροσθεν ἰλικίων ἔπειτα σαμὸν πόλεμος, No-
minatur multis ante Samium bellum seculis. Et in multis aliis locis &
quidē innumeris, Ex eodice verò sacro ne vel unicū. (2) Cōcedim⁹
quidem verbum γίνεσθαι non propriè significare, εἶναι, sed fieri,
sive existentia respectu, ut ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, sive de accidenti-
bus ipsius existentia, ut cum dicitur Christus Gal. 3, 13 γενόμενος
κατὰ σαρκα: Caterum si quoties verbum γίνεσθαι occurrit, ἁπλῶς i-
nitiū imaginaremur, quot quælo creationes uni homini assigna-
rentur. Quid judicandum de isto dicto Luc. 6, 16. Γίνεσθε ἐν οἰ-
κτιρμοῖς, Estote misericordes, unde quoque nova Creatio hominis
esset dijudicanda. Consule hac de re Flacium in Clav. sacrae Scri-
pturae. Commendat valdè versionem veterē Beza in suis notis su-
per N. T. *Antepositus est mihi*. Lutherus vertit (*der vor mir gewe-*
sen ist) non (*der vor mir worden ist*.)

Theſ 50. Proinde ut falsa sunt *Arianorum* dogmata modo
producta, sic falsa omnia. Conglutinantur enim omnia veluti
unā in catenā. Ex hoc enim quod dicunt Christum esse factum, ac
ea propter esse creaturam, profilit illud Christum non esse natura-
lem DE: filium. Sed quorsum hoc Ps. 11, 7. *Filius meus es tu, ego ho-*
die genui te. Et Matth. 17, 5 2. Pet. 1, 13. Quorsum confessio Petri
de Christo Matth. 16 Tu es Christus, ὁ υἱὸς cum articulo δεικτικῶ
Dei vivi. Ab æterno genuit illum suum filium E. est quoque Filius e-
jus naturalis. Dicit Hilarius lib. 12 de Trinit. *Aut non semper Pater,*
si non semper Filius: Aut si semper Pater semper & Filius, Quia
quantum temporis filio ne semper Filius fuerit, abnegabitur; tan-
tum Patri deest, ne semper Pater sit. Theſ.

Theſ. 51. Poſt mortem *Arii* exorta eſt Hæreticorum tertia
 classis. Quæ iterum ſeſe in duos diviſit ordines. Prioris ordi-
 nis fuere genera duo: Quidam enim ſtatuereunt ipſum eſſe Patri
 ὁμοίσιον κατὰ φύσιν καὶ ἔſτιαν, qui propterea dicti ſunt *Semi-A-*
riani. Aſſerebant verò quidam eum eſſe ὁμοίσιον κατὰ θέλησιν.
 Qui dicti ſunt ἑπερόſιοι. Poſteriores verò tum Eſſentiâ, tum vo-
 luntate filium eſſe Patri inæqualem dixerunt, hi ab *Aetio* & *Euno-*
mio dicti ſunt *Aetiani* & *Eunomiani*. *Aetius* fuit Magiſter *Euno-*
mii, *Arianam* blaſphemiam incœpit adaugere, atq; ita in ordi-
 nem *Diaconorum* receptus eſt, cum verò à *Flaviano* & *Diodoro*
 accuſaretur coram *Leotimo*, ſtatim ab officio quo gaudebat de-
 trudebatur. Ut legere eſt apud *Theod. l. 2. c. 20.* & *Sozome. lib. 4.*
c. 23. Hic quamvis fuit rerum divinarum parum peritus, tamen
 egregius fuit *Sophiſta*, & ad ratiocinandum valdè idoneus, inq;
 variis rebꝯ exercitatus maximè, ut dicit de illo *Soz. l. 3. c. 14. Soc. lib.*
2 c. 28. Sentiebat hic quidem cum *Ario*, illiusq; ſententiam de-
 fendeat, verùm aliis ratiociniis; eaq; propter ab *Arianis* ipſis pro
 Hæretico habitus. Quomodo virus ſuum prædidit *Vid. Sozome.*
l. 1. c. 11. Niceph. l. 9. c. 36. Theod. lib. 2. c. 28. Soc. lib. 1. c. 28. Poſteâ
 à *Constantino* in exilium proſcriptus eſt, & à *Symmiftis* ſuis in
 totum damnatus. Ex hujus Scholâ tanquàm diſcipulus prodiit
Eunomius, qui ut *Ruffinus* de eo teſtatur, fuit leproſus & corpo-
 re & animâ. De illo videatur *Socrates lib. 2. c. 35. Niceph. l. 11. c. 11.*
 Contra hos Hæreticos ſcripſerunt *Baſilius* & *Nazianzenus*. Di-
 cti verò ſunt ἀνόμοιοι. Idq; hanc ob cauſam quod contendebant: *Filiũ*
Dei non eſſe ſimilem in operatione & potentiâ DEI, quamvis æqualis
ſit in ſubſiſtentiâ. Sed quoniam hi poſſunt iisdem argumentis con-
 vinci, quibus *Ariani*, crambem bis coctam lapponere nolo.

Theſ. 52. Unum dictum jex omnibus aliis, quod vi-
 detur externâ ſpecie, primoq; jintuitu illorum ſententiæ fave-
 re, annotabimus. *Johan. 5. v. 19. Non poteſt Filius à ſe ipſo fa-*
cere quicquam, niſi quod viderit facientem Patrem. Ex hoc
 dicto ſic concludunt: Facit igitur *Chriſtus* non aliter quam
Petrus Actor. 3. verſ. 12. οὐκ ἰδίᾳ δυνάμει. Sed quàm
 claudicet hæc eorum iſtantiâ, ad oculum jam monſtrabitur.

E

Verum

*Actus de Euno-
mii.*

*Vindicia dicti
5, v. 19.*

Verum hoc est: ἡ δύναμις, interdum in codice sacro sumi pro
 μὴ θέλει, Non posse, pro nolle, nā inter species, ἡ ἀδυναμία rectè
 Nazianzenus numerat ἡ ἀβέλγητον λογ. β. πρὸς ἡρ. In isto enim
 sensu sumitur Marc. 6. v. 5. καὶ ὅτι ἐδύνατο ἐκεῖ ἐδεμίαν δύναμιν
 ποιῆσαι: *Non potuit illic ullam virtutem edere, i. e. Potuit quidem,*
sed propter humanam incredulitatem & ingratitude[m] no-
luit. Huc spectat dictum Exod. 32, 11. Cerno quod populus iste
 duræ cervicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus contra eos,
 &c. Poni hanc regulam. Glassius: *Verbum potestatis*
quandoq; pro verbo difficultatis aut molestiæ accipitur Conf. Apoc. 2.
v. 2. 1. Cor 3, 1. Job 7, 7. Hoc verò in loco absit ut dicamus ἡ δύναμις
 sumi tali sensu, quia potius audacter concedimus, agi de illo quod
 est omnibus modis perfectè & absolutè ἀδύνατον. Conclusio
 ista, quam exindè eruunt Arianæ & Eynomiani, falsissima est. Ea
 propter enim nihil prorsus divinitati Christi seu ejus omnipoten-
 tiæ derogatur. Collationem, quæ ab illis instituitur inter Petrum
 & Christum, si quis intentius inspicit, dabit ambabus manibus
 rationem utriusq; disparem esse. Dicit Petrus Act. 3. v. 12. ὅτι ἡ
 δύναμις ἢ εὐσεβεία πεποιηκόσι, &c. (Beza dicit Syrum & Arabem
 interpretes legisse ἢ εὐσενεία, ἢ robore seu viribus, Et in nonnul-
 lis quoq; veteris editionis latinæ versionibus legi: *virtute & pote-*
state, id est, ἰσχυρί καὶ δυνάμει ut 2. Pet. 3, 12, quam lectionem nec
 Erasmo nec sibi displicere fatetur.) Undè verò hanc δύναμιν ha-
 buit Petrus si non ex seipso? Testatur id Spiritus DEI Marc. 1. v.
 13. 14. 15. nempe ex Christo: Sic enim versu 15. καὶ ἔχειν ἐξουσίαν,
 vulgata vertit: *Et dedit ipsis potestatem:* quam lectionem arripit
 quoq; Beza, dicitq; in vetustissimo exemplari suo legi καὶ ἔδωκεν.
 Si verò Christus dedit Petro & Apostolis hanc potestatem, sequi-
 tur in Christo longè excellentiori modo hanc potestatem esse,
 quam in Petro & Apostolis. Verum prius, Ergò & posterius. Quod
 dicit Christus, se nihil posse facere ex seipso, nisi quod videat Patrem
facientē, exindè non potest infringi Christi vel ὀnipotentia, vel in-
finitas, vel operandi æqualitas, sed potius summa ejus & conjun-
ctissima in operatione unitas confirmatur. Ex se enim Christus
nihil potest facere, quia non est à seipso, sed ea quæ videt Patrem
suum facientem, facit unà, eodemq; modo eademq; potestate
 &

& virtute quâ Pater, per æternam generationem quam habet ex Patre. Subjunguntur enim hæc verba, *Quæcumq; enim Pater facit, hæc omnia quodq; facit Filius omniōs.* De reliquis dictis idem est iudicium. Vid. Nazianz. Orat. V. quæ est secunda de Filio, ubi VI. species *ἀδυνατῶν* explicat.

Thef. 53. In hoc quidem astipulamur Aëtianis & Eunomianis quod dicunt *Filii personam esse, æqualē Personæ Patris.* Præit enim nobis textus divinus *Job 5, 18* Ubi Judæi dicunt, Christū dixisse, *se esse æqualē Deo,* Ex hoc quidē loco inferre solent Photiniani: *quod est DEO æquale non est ipse Deus,* Christus est Deo æqualis, E. non est ipse DEUS. Sed quoniam sumitur hic nomen *DEI ἰσοουσι-νώσ,* sequitur hoc solummodo ex illorum argumentatione: *Ergo Christus non est Pater.* Neq; tamen facimus cum Praxianis, Sabellianis. Noetianis qui affirmabant quidem in Christo divinam naturam, sed quoniam dicebant in divinitate esse solummodo unam personam, *putabant Patrem quoq; esse incarnatum,* passum, crucifixum, appellati igitur hi sunt Patripassiani. Nam quod tres sint divinitatis personæ ex omnibus Hæterodoxis adversariisq; nostris modernis ne unus est qui negat; Tres vero esse personas Deitatis ostensum satis est à Gerardo in Art. ejus de mysterio Trinitatis. Idcirco hæc opere, ut à meo proposito prorsus alieno, nunc supersedebo.

Thef. 54. Alterum extremum, quod promisi me in specie probaturum, est humana Christi natura, quæ ut est in Christo vera, sic quoq; Christus est verus homo. *Copulavit enim sibi,* (ut cum Chemnitio loquar) *humanam naturam integram seu totam, consubstantialem nobis, habentem corpus & animam rationalem, & in illis omnes conditiones, appetiones vires & facultates humana nature proprias & ordinatas, non vitiosam, sed sine peccato, &c.* Quod igitur sit verus homo, probatur ex ejus nominibus quæ ipsi tum proprie in Sacra Scripturâ adscribuntur, tum figuratè. Vocatur enim *1. Timoth. 2, v. 5. HOMO. Dan. 7, v. 15. Filius hominis. Es. 9, v. 6. Puer. Filius Abraham, Filius David. Matth. 1, 1. Siloch Gen. 49. Filius Mariæ Es. 7, 14. Primogenitus Mariæ Luc. 2, 7. Vocatur quoq; semen mulieris, Gen. 3, 15. Semen Abraham, Gen. 12, 18. Semen Isaac, Gen. 26, 4. Semen Jacobi, Gen. 28, 14. &c.*

Humana
natura proba

Thes. 55. Quod sit integer homo probatur ex *Hebr. 2.* Sicut
 alii pueri carni & sanguinis particeps factus est. Verum quidem est,
 modum ejus nativitatis longè à communi & naturali modo discre-
 pare. Materia tamen ejus eadem est, atq; nostra. Porro: Successiva
 fuit membrorum ejus effigatio, accretio fuit successiva. Infantes
 enim successivè in utero crescunt, hic quoq; Et veluti accrevit
 aetate & sapientiâ *Luc. 2. v. 52.* sic nullum dubium est, quin accre-
 verit quoq; corpore in utero materno. Verba Chemnitii sunt,
 quæ digna sunt aureis literis ut notentur. *Harm. Evang. c. 18 p. 173.*
Lucas in descriptione Nativitatis, usus fuit verbis vulgaribus & usi-
tatis, ut ostenderet, non querenda esse præter Scripturæ testimonia
extraordinaria miracula in nativitate Christi, sed quæ naturali
ratione post conceptum fœtus in utero materno sequi, quæ in partu
fieri & in partu comitari solent, cogitanda esse de hac nativitate.
 Tribuimus igitur Christo & genus logicum, quatenus abstrahi-
 mus humanitatem ab hoc, isto, vel illo homine, omnibus commu-
 nem; Et genus physicum, quod ex Mariâ deducitur. Sed brevi-
 bus omnia: Factus est omnibus hominibus ὁμοῦσι, secundum
 essentiam specie, non verò secundum eandem numero essen-
 tiam, sicuti ὁμοῦσι Patri est. ὁμοῦσι est nobis, quoad ani-
 mam, quàm ut ipsi Scriptura Sacra *Matth. 20. v. 28* (*Ut daret ani-*
mam λύτρον) sic quoq; ille sibi ipsi in Scriptura tribuit, *Luc. 23.*
v. 46. In manus tuas commendo Spiritum meum. ὁμοῦσι ille
 quoq; nobis est, tum quoad corpus nostrum, tum quoad partes
 ejusdem corporis De corpore suo ipse testatur, *Luc. 22. v. 19.*
hoc est corpus meum, Sic Matth. 26 v. 26. Partes quoq; corporis
 tum similes, tum dissimiles habuit omnes. Similes sper-
 maticas, ut ossa, quæ Spiritus denegat, sibi vindicat *Luc. 24. v. 39.*
Job. 19. v. 33. Similes sanguineas ut carnem, ut sibi ipsi attri-
 buit *Luc. 24. v. 39.* Sic quoq; Scriptura *Rom. 1. v. 3.* Nec caruit
 membris dissimilaribus, atq; organicis; In superiore parte ha-
 buit os per quod loquebatur: in mediâ habuit manus quæ produ-
 xit, & ventriculum quo cibum recipit, in infimâ habuit pedes, qui-
 bus ambulabat. Omnes has partes humani corporis Christo

attri-

Quæ successiva cre-
 vit in utero materno?
 Epitom. Errorum Calvin.
 p. 5. p. 36. Nec ultra id
 est nihil sapere volentes
 quodam in sententiam Pa-
 tris, est distinguendum
 in effigiationem et effigie-
 mationem. Illam fuisse
 eamque hanc et fuisse effi-
 giationem.

attribuit Johannes in Apocal. c. 1. v. 14 15, 16 *Caput ejus & capilli*
erant candidi, velut lana alba, & tanquam nix, oculi ejus tanquam
flamma, & pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti: vox
ejus tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextrâ suâ stel-
las septem, & de ore ejus gladius utriq; parte acutus exibat, & facies
ejus sicut sol lucet in virtute suâ. Ὁμοίως nobis factus est, tum
 quoad proprietates essentielles, quæ immediatè ab essentiâ proflu-
 unt, idq; vel totius, ut esse creatum, vel partium, sive (1) Animæ ut
 esse incorpoream, rationalem, sive (2) corporis, ut esse organicū,
 habere *συμμετέχουσαν* & ordinariam dispositionem omnium par-
 tium. Quas essentielles proprietates Christus cum assumptâ hu-
 manitate retinet. Tum quoad proprietates accidentales; Exci-
 pitur verò hîc peccatum, quod nullâ ratione sibi assumpsit. Quod
 verò habetur Gal. 3. 13. *Χριστὸς ὑμᾶς ἐξ ἡγούραθεν ἐκ τῆς κατὰ νόμου τῆς*
νόμου, γενόμενος ὑπερ ὑμῶν κατὰ νόμου, attribuitur Christo non
 inhærentè, quia in ipso peccatum nullum, nec ulla vel minima la-
 bes erat *Es. 53. v. 9. Hebr. 7. v. 26.* Vocatur quoq; Sanctus *Luc. 1.*
vers. 35. Sanctus Sanctorum Dan 9. vers. 24, sed imputativè. Ex-
 cipiuntur quoq; quædam peccatorum poenæ; Sunt enim illæ
 vel personales, ex causis quibusdam particularibus ortæ, quas
 Christus nec sibi assumpsit, nec assumere opus erat, non enim o-
 pus redemptionis sibi suscepit pro particularibus quibusdam
 hominibus, sed pro omnibus universi mundi peccatoribus.
 Tum communes, illæq; corruptionem simul involventes,
 à quibus Christus etiam se excepit, non enim vidit corruptio-
 nem. Tum simplices infirmitates, quæ sunt tum totius, quo
 spectat totus exinanitionis status, (conceptio cum infirmitate,
 nativitas cum dolore.) Tum animæ, ut ignorantia quorun-
 dam, tristitia, &c. Tum corporis ut sunt dolor ex siti & fame,
 mala & cruciatus, ipsaq; tandem mors, quas quidem acci-
 dentales proprietates sibi assumpsit, sed post resurrectionem
 iterum reliquit, nec secum in cælum transtu-
 lit.

Theſ. 56. Quemadmodum malignus iſte ac peſſimus Spiritus Diabolus in diſturbandâ DEI Eccleſiâ nunquam fuit ſegnis, ſed penes omnes articulos fidei excitavit hæreticos, ſic neq; hic ſegnis deprehendus, ſed veluti contra hunc articulum, de aſſumptâ humanâ Chriſti naturâ in divinam, jam ſtatim à nato Chriſto ſua excitavit membra, quæ illum vel pernegarent, vel depravarent, tempore Apoſtolorum, ita quoq; in primitivâ Eccleſiâ, ut & in noſtrâ excitavit complurima.

Theſ. 57. Paululum ante tempora Constantini, exortus eſt quidam Hæreticus, nomine *Manes*, qui Chriſtum non eſſe hominem verum, ſed ſolummodo κατὰ δόξαν putabat, omniaq; iſta exercitia, quæ inſtituebat quæq; peragebat in toto ſuo ſtatu exinanitionis, ſolūmodo pro phantaſmatibus habuit. De hoc *Manete*, deq; ejus hæreſi ſic ſcribit *Euseb. lib. 7 c. 25.* *Manes quidam mentis inſaniâ exagitatus (cujus nomen errori demoniaco, qui ab eo oriebatur, non inſcitè reſpondet, ipſo Satana DEI adverſario hominem ad multorum perniciem ſubornante ſincerum rationis judicium evertere, & tanquam armis oppugnare laboravit, & ſicut vita, oratione & moribus barbaro, ſic natura demoniaco & furioſo fuit. Undè his rebus mirè convenientia animo inſtituens, ipſius Chriſti formam ac perſonâ induere conatus eſt. Interdum autem Paracletum & Spiritum ſanctum ipſe ſe prædicavit, & iſtâ rabie fuit ac furore nimium inflatus. Interdum ad Exemplum Chriſti duodecim diſcipulos, conſortes ſue novæ & inauditæ pravitatis, delegit. Falfa & impia dogmata ex infinitis erroribus, qui jam olim exiſtimati fuiſſent, in unum conſarciēs, & de Perſarum regione in iſtas orbis partes transferens, tamquam venenum quoddam mortiferum, apud nos evomuit. Ex quo fonte impium Manichæorum nomen ductum eſt, & apud multos adhuc viget. Cōf. Ruff. c. 27. De morte ejus talia refert Socrat. l. 1: c. 17. Manes impudentis mendacii debitas pœnas luit, idq; talem ob cauſam. Filio Regis Perſarum in morbo delapſo, Pater omnem, ut dicitur, movebat lapidem, quo Filius è morbo recrearetur. Ac de Manete certior factus: & ejus præſtigias minimè fucatas eſſe ratus, tanquam Apoſtolum accerſit, ſpem animo concipiens, filium morbo ejus levatum fore: Accedit ille bonus vir, commentitiis præſtigiis filium Regis aggreditur. Rex ut videret puerum in manibus ejus occubiſſe, hominem in carcerem concludere conatur, debito ſupplicio afficere parat. Iſte fugit in*
Mefc.

Mesopotamiam: sicq; vita consulit. Cum Regi Persarum annunciatum esset illum in illis partibus versari, inde abripiendum curat. Jubeat vivum excoriari, pellem ejus paleâ confertiri, ante portas civitatis appendi. Hujus sententiam amplectebantur Manichæus, Saturnius, Basilides, Levcippus, Milesius, Marcion, & alii multi. Dicti verò hi omnes sunt Φανταστικοί.

Thef. 58. Christus ipse verò se multis in locis in Novo Testamento coram discipulis & Apostolis suis non Spectrum seu Phantasma esse, satis illustraverat. Cum enim discipuli ejus videbant eum ambulante[m] super aqua eumq; Spectrum fuisse arbitrabantur *Matth. 24.* Christus se ab illa suspicione tum verbis, tum facto liberabat. Sic cum ad Apostolos venit post suam resurrectionem elausis januis, existimabant illi se vidisse Spectrum, *Luc. 24.* Christus hanc phantasmiam refellit, monstrando ipsis suas manus tuosq; pedes, dicendo, *Palpate & videte quoniam Spiritus carnis & ossa non habet sicut me videtis habere.* Excogitarunt tamen alia argumenta hi Phantastici, ex quibus Christum non verum hominẽ factum esse, probatum velint. Unum desumunt ex *Epist. Paul. ad Philip. 2, 7.* ubi dicitur Christus in similitudine hominum factus, & *in ομοιωσει* repertus ut homo. Quid verò de isto dicto sentiendũ sit, ostensum est superius.

Thef. 59 Alterum dictum, quod Phantastici isti, in phantasticam suam retorserunt sententiam, extat *Rom. 8, 3.* *Misit Deus filium suum ἐν ὁμοιωσει σαρκὸς ἀμαρτίας.* Vetus versio sic habet: *In formã consimili carni peccato obnoxie.* Beza vertit: *in similitudine carnis per peccatum contaminatæ.* Ex hoc dicto tali modo concludunt Phantastici & Manichæi isti; Quia nostra caro non tantum est peccaminosa, sed & omninò caro peccatrix, illam carnem sibi assumere non potuit Christus, quia fuit sine peccato; Ergo sibi non assumpsit humanam naturam verè, sed putativè saltem. Verum resp. 1. Christus factus est similis carni nostræ peccatrici, non autem factus est caro peccatrix; In ipso enim nulli vel vitiosi motus, vel malæ actiones deprehendebantur, hæc igitur mala sibi nõ assumpsit; Pœnas verò istas, quæ pullulabant quasi ex peccato, sibi assumpsit ex miserationis affectu, non ex conditionis necessitate. Potuisset enim homo esse, si vel maximè hæ infirmitates non accederent, quoniam istę sunt saltem accidentia quædã, quæ post homi-

homi:

hominum peccatum, veluti poenae hominibus sunt inflicta. Nam
 ut istae poenae abrogarentur, necessum erat ut ille istas in se susci-
 peret partes, moriendo, variasq; corporis & animae afflictiones
 perferendo. Construendum ea propter vocabulum ὁμοίωμα cum
 utroq; vocabulo σαρκὸς ἀμαρτίας non verò cum solo vocabulo
 σαρκὸς. (2) Quod Apostolo Paulo in hac epistolâ non de Spectris
 sive Phantasmatibus sit sermo, videri potest statim ex frontispicio
 hujus Epist. cap. 13. Ἐγενόμενος ἐκ πνεύματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα.
 Thes. 60. Tertium argumentum quod Manichæi isti pro puta-
 tivâ specie humani CHRISTI corporis in scenâ producunt, sum-
 ptum est ex apparitionibus Christi in veteri Testamento tum corâ
 Patribus Abrahamo Genes. 18 & c. Tum Prophetis, Dan. 3 & 7. Sic a-
 argumentantur: Veluti Christus in veteri Testamento coram Pa-
 tribus in Angelicâ formâ, sic quoq; in N. T. nobis apparuit in In-
 carnatione: sed in V. T. apparuit Phantastikῶς. Ergo, & c. Sed
 consistamus paululum ac conferamus illam Φανέρωσιν & hanc
 προσλήψιν cum se invicē, fiet luculentum, has binas differre tum
 quoad causam efficientem & materialem, tum quoad causam for-
 malem & finalem. Primum quâ longè diversa est significatio
 vocabuli Φανέρωσις & a vocabulo προσλήψεως, cui libet, qui vel
 extremis labiis linguam græcam degustavit, potest esse cognitum.
 Causa efficiens illius apparitionis fuit Christus solus, secunda
 Trinitatis persona, non Pater nec Spiritus sanctus, nec concurre-
 bant unâ in istâ apparitione. (Quamvis per tres istos Angelos
 qui apparebant Abrahamo Gen 28. non desint illi qui volunt Tri-
 nitatem intelligendam, tamen non omninò solidum argumentū
 vel firmum exindè pro istâ sententiâ corroborandâ depromi po-
 test.) In hac verò assumptione humanæ naturæ, causa efficiens e-
 rat Sacrosancta Trinitas, quod infra probabitur. Materia illius
 apparitionis non fuit vera humana natura, sed symbolica, atq;
 ita forma solummodo assistens, non informans ut Scholastici lo-
 quuntur, qua ante voluit demonstrare & significare Abrahamo
 cæterisq; se in tempore venturum; In hac verò assumptione ve-
 rum corpus & veram naturam humanam sibi associavit. Forma
 apparitionis istius fuit ad tempus, assumptio verò hujus perpetua.

spon-

Finis apparitionis istius nullus alio fuit, quam ut fides ex Prot-evangelio à Patribus conceptam confirmaret; assumptionis verò hujus finis erat Pro-evangelii exsecutio scil. redemptio generis humani. Rectè igitur respondet Tertullianus ad argumentum de apparitione Angelorum, in libro suo de carne Christi: Comparentur causæ, tam Angelorum, quam CHRISTI, ob quas in carnem venerit, & manifesta evadet differentia inter apparitionem Angelorum in specie humana, & inter incarnationem Christi.

Thef. 61. Quoniam Sathanas, se frustrâ immutatione CHRISTI carnis inphantasma sudasse deprehendit, aliud delirium & Schisma invenit. Oriebantur enim ex ejus Spiritu, postea hæretici multi, qui dicebant Christum non verè carnem nostræ consubstantialem assumpsisse, sed è coelo secum corpus sidereum & elementare attulisse. Cujus hæreseos agmen ducebat Valentinus, qui hanc hæresin auspicabatur sub initium imperii Antonii pii Imp. De illo & Marcione videatur Eusebius libro 4. cap. 10. Nicephorus lib. 4. cap. 2. erroris sui consortes habuit Apellem & Eutychem, aliosq; infinitos: de illo vide Eusebium lib. 5. cap. 13. Nicephorum lib. 4. cap. 28. De hoc & ejus relegatione ex Synodo Constantinopolitana vide Nicephorum lib. 13. cap. 47. Et Evagrium lib. 1. cap. 9. Ex eorum rogo nati sunt moderni nostri Anabaptistæ, Schwenkfeldius, Methistæ &c. Dicti verò &c. hi sunt ἐπερῆστοι.

Thef. 62 Urgent hi præprimis dictum |1. Cor. 15. v. 47. *Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Observandum autem hic, vulgatam versionem cum græcâ non convenire. In textu enim græco sic habetur: ὁ δὲ τῆς ἀνθρώπου ὁ κύριος ἐξ οὐρανόθεν. In vulgatâ ὁ κύριος expungitur, eò quod Tertullianus lib. 5. in Marcion, illumq; sequutus Bellarminus cap. 2. v. 7. Putent vocabulum istud textui græcò à Marcione insertum. Porro in vulgatâ versione post ἐξ οὐρανόθεν additur ἐπὶ οὐρανόθεν, sicut post ἐκ γῆς κοίτης. Quamvis vero pseudo Hieronymus & Ambrosius lectionem istam pro verâ amplectentur, repudiat tamen Beza cum Gerardo in Exegesi pag. 375. & Glassio lib. 1. Philologie sacre pag. 150, textumq; græcum, ut in nostris Exemplaribus reperitur,

F

ritur,

AB.

ritur, pro authentico recipit, eo, quod omnes græci quos ille vidit,
 ut & Syrus & Arabs interpretes, & Damascenus l. 3. de Orthodo-
 xâ fide cap. 12. hanc lectionem sequantur. Atq; ita textu græca-
 nico à corruptione liberato, satis convincitur ἐπερσιων sententia:
 In textu enim describitur cum terminus à quo, tum quoq; termi-
 nus ad quem. Terminus à quo est cœlum ipsum unde descendit,
 non ut homo sed ut Κύριος. Terminus ad quem est Maria, in cu-
 jus utero factus est homo, nec in utero saltem, sed quoq; ex utero
 Gal. 4. v. 4. Ac ea propter dicitur fructus ventris eius Psal. 132. v. 11.
 In hoc igitur dicto nullum habent fulcimentum hæretici isti.
 Non enim probari potest exindè, CHRISTUM corpus sidereum
 secum ex cœlo in uterum maternū tulisse, sed tantum quod sit fa-
 ctus homo. Concinnè & egregiè certè pii Veteres hujus appel-
 lationis (κύριος ἐξ ἁεραν) rationes quatuor proferunt (1.) Ex
 divinitate humanitati unita, Christus est persona divina. (2.) Ab
 operibus, Christus habuit opera divina & cœlestia. (3.) ratione
 meriti, Christus cœlum & immortalitatem nobis promeruit.
 (4.) Ratione conceptionis, non quod corpus suum cœlo delatum
 in uterum *Mariæ* deduxerit, sed quod cœlesti virtute in utero vir-
 ginis conceptus est. Dein, si vel maximè concesserimus, quod
 post ἐξ ἁεραν habeatur in textu ἐπερσιων, non tamen, ut *Beza*
verbis utar, declarat eum qui sit ex cœlesti quadam materia com-
 pactus, sed qui sit particeps cœlestium qualitatū, id est, immor-
 talitatis, gloriæ ac potentia. Alia quoq; argumenta habent hi
 Valentiniani & ἐπερσιων; quæ sicco nunc prætereo pede, discursui
 eadem reservans.

Theol. 63. Sub imperio Gratiani novam hæresin finxit A-
 pollinaris Episcopus quidem Laodicensis. Hic CHRISTUM
 animâ rationali carentem introduxit. De illo Theodoretus sic
 testatur lib. 5. cap. 3. *Apollinaris Laodicensis, tametsi pietatis perso-*
nam induerat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere videba-
sur, paulò post tamen, se ejusdem adversarium esse palam prodi-
dit. Etenim de naturâ divinâ differens, oratione planè adulterinâ
usus est, quippe in eâ dignitatum gradus constituere, & æconomia
CHRISTI mysterium imperfectum affirmare, & animam rationis
parti-

participem, cui corporis moderatio commissa est, salute quæ per Christum nobis parta est privatam dicere non dubitabat. Nam hanc animam, uti ejus ferebat opinio, DEI verbum non sumpsit, neq; ei vel medicari vel ullum honorem tribuere dignatum est, sed corpus terrenum à potestatibus, quæ sensum oculorum effugiunt, veneratione afficit, animam autem quæ est ad imaginem DEI creata, infra manere, labe peccati aspersam, asseruit, Confer Nicephorum lib. 12. cap. 4. De hæresi ejus refutata videatur idem lib. 12 cap. 17. Arius verò & omnes qui illius vestigia premebant, rati sunt Christum omni profus anima carere, & divino Spiritu corporis sui superficiem implevisse, idq; hæc intentione, ut possent illas passionem quæ in Scripturâ homini tribuuntur, ad λόγον referre. De illis vide Socratem lib. 2. c. 36.

Theſ 64. Refelluntur hi omnes sine ullo negotio ex istis dictis. ubi Christus sibi ipsi animam attribuit, Job. 10. *Ponam animam meam & rursus assumam eam*, Matth. 26. *Nunc anima mea tristis est usq; ad mortem*, &c. Præcipuum argumentum, quod hi ἀψυχοὶ urgent, extat Job. 1. v. 14. *Verbum caro factum est*. Sed sciendum, carnem in Scripturâ multoties sumi Synechdochicè pro animâ & corpore simul. Sic in Hebræo אדם id est, homo per Synechdochen. Gen. 6. 12. Es. 40. v. 5. Joel. 2. v. 28. Similiter caro sumitur pro anima & corpore simul, Matth. 24. v. 22. Luc. 3. v. 6. Act. 2. v. 17. Rom. 3. v. 20. &c. Quod verò vocabulum istud CARO pro animâ & corpore junctim hic sit accipiendum, patet primò ex locis parallelis de incarnatione Filii DEI tractantibus Coloss. 2. v. 9. 1. Tim. 3. v. 16. Hebr. 2. v. 14. & 16. Secundò ab hominis appellatione: Homo enim dici non potest nisi habeat & animam & corpus. Tertio. A salutis nostræ ratione quæ acquiri neutiquam potuit, nisi Christus & animam & corpus sibi associaverit. Pulchrè & scitè dictum est à Nazianzeno, τὸ ἀπρότλητον ἀρεῶν πέντων. Jam verò si non assumpsit animam nostram, sequitur illam non esse curatam. Cumq; illa præstantior sit quam corpus, magis quòq; infecta erat quam corpus, ea propter magis curatione egebat quam corpus. Nam non solum in ipsâ substantiâ corporis hæret depravatio peccati, sed præcipuè in ipsis appetitionibus, facultatibus, & actionibus quæ ex animâ proveniunt Conclude

cludo cum Augustino, qui negat Christum hominem, non est pro illo mortuus Christus, quia secundum humanitatem mortuus; Non justificatur per Christum, quia in sanguine eius justificati sumus, &c.

Thef. 65. Etiam si verò duæ sint naturæ in hoc mysterio, non tamen duæ sunt personæ, sed solummodò una, nempe divina, quod probatur ex 1. Timoth. 2. v. 5. *Unus DEUS, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Natura enim humana in se ipsâ considerata, manet ἀνθρώπου, in λόγῳ verò ἐκυπόστατος. Nec tota persona quæ Christus Θεάνθρωπος habet, est incarnata, ut quidam ex Calvinianis, Beza, Tanæus, &c. & hos secutus Bellarm. falsò arbitrantur. Hæc magis ut elucescant, formalis hujus incarnationis causa erit consulenda.

Thef. 66. Unionis formale in eo situm est (fatentibus omnibus nostris Theologis) quod λόγος ὑπόστασις facta sit carnis ὑπόστασις. Hoc verò mysterium, quum tam sublime sit, itamque altum, ut, quomodo factus sit homo DEUS, DEUSque homo, ab humani ingenii imbecillitate vix capi possit, (quod in Onomatologia supra dictum est.) Et sit tale mysterium, circa cujus cognitionem in opere salutis nostræ planè cæcutimus; aliquali istâ cognitione, quam nobis Spiritus Sanctus subministrat, contenti esse debemus: nec ea propter, quod captui nostro minus congrua videtur, ad ratiocinia humana fragilia atque corrupta, quæ hoc mysterium, ab omni corruptione vacuum ac immune, assequi, nec dicam transcendere nequeunt, confugiendum, sed in ipsissimo divino verbo consistendum. Dixit Ambrosius olim commodè satis ac appositè: *credimus piscatoribus, non Dialecticis*, i. e. fides nostra in mysteriis erit simplex unica ac divina, non tortuosa, non spinosa.

Thef. 67. Superioribus seculis fuere duo hæretici, qui de formali unionis blasphemè sentiebant. Horum alter in excessu, alter verò in defectu peccavit. Nomen fuit alteri Nestorius, alteri Eutyches. Ille Nestorius existimabat in CHRISTO esse duas personas, eò quod sint duæ naturæ. Hic cœpit temporibus Theodosii secundi & Valentiniani 3. Mortuo Sismo enim, cum vacaret Episcopatus Constantinopolitanus Nestorius tanquam

Nestorius origo error

quam

quam Advena natione Germanicus Antiochiâ accersitus est: cumq; gauderet tum voce sonora ac penetranti, tum egregiâ dicendi copia, Episcopatu constantinopolitano præfectus fuit, quamvis quorundam vota in Philippum, quorundam verò in Proclum caderent. Quale verò esset ingenium ejusdem Nestorii, simul ac Episcopus fuerat ordinatus, palam fecit tum Imperatori, tum quoq; aliis. De quâ re tractat *Socrates lib. 7. cap. 29. Niceph. lib. 14. cap. 31.* Radix ex quâ hæc arbor hæretica excrevit, fuit Anastasii Presbyteri (quem Nestorius Antiochiâ secum adduxerat) dissertatio, in quâ pleno ore docebat Anastasius: *Mariam non esse Deiparam sed Christ parvam.* Nestorius verò cum moneretur, ut Anastasium tanquam suum discipulum ad hoc blasphema revocandû cogeret, scogere noluit, sed cum esse homo magnæ arrogantiae hominumq; encomii appetentissimus (quod encomium in pessimum dedecus est versum) Anastasii verba suis rationibus confirmare incepit, idq; fecit, tum ex ignorantia & ruditate, tum etiam ex contemptu aliorum, ut rectè ostendit *Socrates c. 32.* Nestorio ob intempestivam zelum in Novationes, aliàs infenso. Atq; hac ratione Ecclesias turbavit: quod perspicuus Cyrillus Alexandrinus (qui fuit ultimus ferè ex antiquissimâ & florentissima Patrum ætate) monebat illum hanc suam hæresin ut revocaret; Hoc verò Cyrilli monitum floccipendente Nestorio, convocavit Imperator Synodum Alexandrinam & scripsit ad Ecclesias occidentales. Hujus rei certior factus Nestorius, Theodosii quidem literas impetravit, quibus vehementia Cyrilli increpabatur, quod ille, cui nulla inspectio Ecclesiæ Constantinopolitanæ erat demandata vellet tantas turbas contra Nestorium concitare. Cyrillus verò cum flagrabat magno studio promovendæ gloriæ DEI, hisce clamoribus Principis & Nestorii animo non est dejectus; sed statim scripsit libros ad Theodosium de verâ fide, in quibus quantum veneni sub Nestorii doctrinâ delitescerat, luculenter demonstravit. Cumq; tota Ecclesia hac Nestorii blasphemiam erat infecta, accessit Theodosium Cyrillus rogans humillimè illum
de

de publico concilio : Exoratus tandem Theodosius concilium, quoddam generale indixit Ephesi Ao. Domini 434. die 20. Junii, qui fuit dies Pentecostes. In quo concilio cum jam Cyrillus suam confessus fuerat fidem; non alium esse Filium, qui à Patre ante secula natus est, & qui ex Marià Virgine natus est : Respondet Nestorius in absentia Johannis Antiocheni (qui vocatus quidem ad idem concilium propter Episcopos ejus qui sparsim & longinquo à se invicem habitabant, ac ea propter non tam citò cogi potuerunt, ad dictum diem comparere nequivit) *Ego bimestrem aliquè & trimestrem DEUM nunquam confitebor, post hac ergo non veniam ad vos.* Cum verò jam accersitus ter & amplius se sistere noluit, lectis Epistolis mutuò inter Cyrillum & Nestorium scriptis, probatâq; sententiâ Cyrilli verâ & sincerâ, damnatus est Nestorius. Haud diu post venit Episcopus Johannis Antiochenus, succensusq; Cyrillo, quod adventum ejus non præstolatus fuerit, cum Nestorio facere occæpit. Cyrillus verò adjuncto sibi Juvenali Jerusol. Episcopo, Johannem Antiochenum quoq; abdicat; Theodosius verò perspectâ Episcoporum discordiâ damnationi subscribere noluit? Tandem cum Nestorii virus nimium serpere, nimiumq; inclementum sumere deprehenderet Johannes Antiochenus, ad Theodosium Imperatorem scripsit, qui reconciliato Cyrillo cum Johanne Antiocheno, Nestorium in extremum exilium ablegari jussit. Historiam istam multis pertractant Socrates *lib. 7. cap. 32. & 33. Nicephor. lib. 14. cap. 32. 33. 34. 35. Evagrius lib. 1. cap. 2. 3. 4. 5.* Quod verò postea Nestorio acciderit, Nestorius ipse aperit in libro quodam ad Ægyptium quendam scripto, de suâ in Imaso relegatione, ex quo libro omnia refert Evagrius, pertexens unâ horrendum ejus exitum *lib. 1. c. 7.* Theodoretus Cyri Episcopus contra Anathematismos Cyrilli pro Nestorio scripsit, quomodo verò ille sit refutatus, *Vid. Chemnitium in .L. Cõmunibus part 1. articul de Filio DEI,* ubi hanc totam dissertationem ordine recenset; Et in libro ejus de duabus naturis .: CHRISTO *cap. 8* præcipua dogmata Nestoriana quæ in Synodo Ephesinâ sunt damnata enumerat.

Thef. 68. Interpositis annis decem, temporibus Flaviani Episcopi

piscopi Constantinop. Imperatore Theodosio 2. & Valentino 3. Ao 449. ortus est error Eutychetis. Hic cum conabatur Nestorianum virus reprimere ipse vir Nestoriano quidem contrarium, sed tamen æquè damnabile ac æquè perniciosum sparsit. Fuit verò hic Eutyches Monachus Constantinopolitanus, in medio conventu Synodi provincialis, suam fidem palam testatur hisce verbis. *Ego, inquit, ex duabus naturis genitum esse Dominum nostrum 7 ESUM Christum, ante unionem. Post unionem autem, unam esse naturam, & divinum ejus corpus neq; consubstantiale nobis, neq; iisdem nobiscum perpeffionibus obnoxium esse prædico.* Atq; his verbis auditis hæc Synodo damnatus est, postea verò cum ipse sibi injuriam à Flaviano factam coram Principe Theodosio dixisset, princeps aliam Synodum in suburbano Constantinopolis indixit, in quâ multi & Episcopi & ex Senatu quidam adfuere. Erat autem quidam Euanuchus Chrylaphius, inimicus Flaviani, qui à Dioscoro, successore Cyrilli petiit Eutychetis ut partes susciperet, impetrarunt igitur à Theodosio alteram Synodum Ephesinam, in quâ Eutychetis errorem publicè defendit Dioscorus: Atq; ita omnes Episcopi armatâ vi coacti sunt sententiæ Eutychetis subscribere; Et hisce turbis ecclesia non parum per integrum decennium est concitata) donec in Chalcedonensi Synodo controversia ista examinata est sub Marciano, & Dioscorus cum suis damnatus. *Vid. Niceph l 10. c. 47. & agr lib 1. c. 9. & 10.*

Error Eutychetis.

Thef. 69. Horum Hæreticorum dogmatibus ex asse satisfactum est à Chemnitio in libro de duabus naturis cap. 6. ut & à M. Johanne Schrötero Castore Norico, in libro de Euthychianismo & Nestorianismo, nec non Rungio in disputationibus de Euthychi & Nestoria. Quam verò & temporis & chartæ ratio nos breves esse moneat; *quam arcta illa unio sit*, ex locis Scripturæ brevi et lustrabimus. Tenendum hic præ omnibus, quod hæbinæ nature inter se sunt unitæ, ita ut divina sit assumens, non assumptum, humana assumptum, non assumens. Probat hoc *Heb. 2 v. 16.* Semen Abrahamæ Ἰσραηλῶν, non Angelos. Vulgatus interpres reddit APPREHENDIT, quam versionem quidem probat Beza, etiamsi sit verbum minus usitatum ad Hypostaticam unionem duarum naturarum declarandam. Castellio (teste & Beza & Glas-

Hebr. 2. 16.

Glassio) vertit *Ἐπιλαμβάνεται*, per OPITULATUR, sed ineptè, & sine ullo apud Græcos Exemplo. Versio vetus habet ASSUMPSIT, quam Glassius pro veriori & huic mysterio magis competenti approbat, non obstante quod habetur *Ἐπιλαμβάνεται* in Præsenti ASSUMIT, talis enim temporis Enallage in Scripturis frequentissima est. Sic quoque *Matth. 2, 13. Φαίνεται* i. e. *Apparuit* &c. Cæterum ne quis existimet CHRISTUM assumpsisse sibi saltem humanam quandam speciem, & iterum reliquisse, ut in V. T. assumpsit multifariam, explicatur illa ASSUMPTIO per vocabula expressiora *v. 14. κεκοινωνήκε & μετέχευε*. Vocabulum primum dicitur *κοινωνεῖ* juxta Hebræos, ubi viceversa tempus præteritum ponitur pro præsentem, ut notat Beza, qui sic vertit, *Constant carne & sanguine*, simili modo vertunt B. Lutherus (nach dem nun die Kinder Fleisch und Blut haben:) & nostra Biblia Danica (*Estherdida Børnene ere deelactige i Kiød oc Blod.*) erronea itaque est versio vulgata: *Communicaverunt carni & sanguini, eo quo retinuerit tempus præteritum*. Obscurior autem Erasmi: *Commercium habent cum carne & Sanguine*. Sed ne putetur, Christum esse factum similem humano corpori, non verò corpus ipsum & verum hominem, Additur: *Ὁμοπλήσιως μετέχευε*, *consimiliter simili modo particeps factus est carnis & sanguinis*, non Effectivè sicut credentes fiunt participes Christi *Heb. 3, 14*, Spiritus sancti *Heb. 6, 4*. Sed verè ac substantialiter, sicut pueri quorum substantia prærequirit carnem & sanguinè, sicut lac lacti simile est, sic quoque ille homo, qui in Deitate assumptus est homini similis est. At qui talis homo factus est in unitione juxta illud *Job. 1, 14 Verbum caro factum est*, non verò per quandam adjunctionem, ut Danæus vult, nec per nudam quandam sustentationem & gestationem, ut B. Beza & Bellarmino placet, non integraliter nec Essentialiter ut Keckermannus sentit, nec ita ut totus λόγος sit ita in carne, ut etiam sit extra carnem, ut somniant Zanchius, Sobnius, non ut planeta affixa orbi, & gemma inclusa annulo, &c. quales similitudines habet complurimas *Fridericus Petri in suo Nestorianismo*, nec ita ut attractum ab attrahente, &c. nec ut arbor, cui inseritur ramus &c. ut Pontificii nugantur, sed alio quodam supernaturali modo, qui describitur *Col 2, 9. Totam plenitudinem Deitatis κατοικεῖ in Christo σωματικῶς*. Hoc dictum sic explicat felicissimus & Ho-

& Ho-

& acerrimus Lutheranae, Religionis hoc tempore defensor Praceptor
 & Hospes meus de venerandis, D. JOHANNES HULSEMANNUS
 in extensione sui Breviarii p. 90. Inhabitans est divina persona Filii,
 inhabitatum est σῶμα, Arctissimus modus inhabitationis connota-
 tur vocabulo subjectivo, & unitivo σωματικῶς. Est igitur talis u-
 nio Hyperphysica, in quā κατοικεῖ semper, cum non habeatur in
 textu κατοικήσει, inhabitabit, quasi in illa habitare, aliquando
 vel desit, vel desinet; Nec divina quaedam dona solum inhabita-
 bant in hoc homine; non enim dicit textus τὴν θεότητα, divinita-
 tem, sed θεότητα, i. e. Deitatem inhabitare ei. Nec singularia,
 quaedam & certa divina attributa insunt huic homini, nam non
 habetur in textu simpliciter τὴν θεότητα, sed πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς
 θεότητος. Tandem additur terminus in quo haec duae naturae
 sunt unitae, nempe σωματικῶς, & quidem per σύνδεσμον, & vin-
 culum arctissimum ὑπόστασιν Filii, ita ut haec duae naturae in unā
 ὑπόστασις unitae constituent, unum ὑφιστάμενον, sicut Anima &
 Corpus constituunt unum ὑφιστάμενον, Petrum, Paulum, &c.
 Quamvis haec similitudo non ex toto respondeat huic Mysterio,

Thei. 70. Sociniani omnia haec loca, quae nostrates Theo-
 logi pro unione hypostaticā adstruenda, ex Scripturā adferunt,
 in alienum & à coherentiā textus longè diversum trahunt sen-
 sum, quas illorum depravationes & Theologorum nostrorum re-
 futationem solidam legere est apud Gerbardum in Exeg p. 1260.
 1261. 1262. 1263. seq. Et apud insignem Patriae meae Theologum,
 D. Casparum Brochm. Tom. 1. Loco. Com. p. 715. 716. 717. 718. 719. &c.

Thei. 71. Unionis hujus effecta statuimus bina, primum est
 Communicatio Naturarum, secundum verò Communicatio Idioma-
 tum. Fallunt utiq; & falluntur Calviniani, dum ex Unionem natura-
 rum & communione, sequi communicationem negant, dicuntq;
 illam esse solummodo verbalem non realem. Fallunt quoq; Pon-
 tificii, dum Communicationem ὑπόστασεως Exclusivè accipiunt, ut
 opponatur communicationi naturarum & Idiomatum. Nec pro-
 piaculo habent illi ipsi vehemens & grande mendaciū sinceris Lu-
 theranis affingere, dum ajunt, Illos sumere communicationem
 naturarum & idiomatum pro forma Unionis. Quam sententiam
 nunquam Lutheranos amplexos esse, testantur illorum scripta,

G

sed

sed dixerunt semper, verè illa differre ut Antecedens & Consequens, ordine naturæ non temporis, sicut Causa & Effectus. Quamvis haud inficias eo, quosdam ex nostris Theologis (inter quos etiam numeratur noster *Brockmannus*) in ipsâ definitione Unionis, *Communicationis idiomatum mentionem facere*; tamen (ut rectè & meritò dicit *Gerhardus in Exeg pag. 1272.*) id propterea fieri, quia scriptura sacra summum hoc Unionis personalis Mysterium, per *Communicationem idiomatum à posteriori* describit, cum à priori & scientificè in hujus vitæ infirmitate illud pernoscere non possimus. De hac Naturarum & Idiomatum *Communicatione* modo deditâ opera agere nolo, peculiari quadam disputatione alio loco alioq; tempore eandem pertractaturus.

Thef. 72. Causa efficiens Incarnationis est SS. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Diverso tamen respectu hæ tres personæ eandem constituunt. Veluti enim nec Pater, nec Spiritus Sanctus dici potest Incarnatus, sed solummodo concurrentes Personæ in ipso actu *τῆς πρεσβυτέρου*, Filius verò solus istum actum continuavit atque perfecit, sicut quoq; nec Pater, nec Spiritus Sanctus tali modo est causa Efficiens, ac Filius. Est enim hæc incarnatio opus divinum mixtum competens omnibus tribus personis inchoativè, terminativè verò & formaliter soli Filio. Inchoativè tribuitur Patri quatenus ille misit Filium in mundum *Job. 10. v. 36.* In similitudine carnis peccati *Rom. 8. v. 3.* Aptavit Filio corpus *Hebr. 10. v. 5.* Tribuitur Spiritui Sancto quatenus supervenit Mariæ *Luc. 1. v. 35.* Completè verò & perfectè tribuitur Filio secundæ Trinitatis Personæ, quatenus jam ipse unâ cum Patre & Spiritu Sancto sanctificatum & formatum suum corpus in utero materno soli suæ personæ appropriavit *Luc. 1. v. 35.* Virtus altissimi obumbravit tibi, &c. *Job. 16. v. 28.* Exivi à Patre & veni in mundum *1. Job. 4. v. 2.* JESUS CHRISTUS in carne venit, &c.

Thef. 73. Attentenda verò hîc Vorstii Photiniazantis insolentia, dum ex hoc dicto *Luc. 1. v. 35.* Cum Spiritus Sanctus dicitur supervenisse illi, concludit, ergò Spiritus Sanctus in Christo homine formando seminis virilis, imò ipsius viri vicem supplevit, nec
quic-

Luc. 1. 35.

quicquam in hac generatione Christi præter actionem & semen viri
 defuit. Ex cuius hypothese hæc sequitur falsa conclusio: Ergo
 Spiritus Sanctus est Pater Filii. (1.) Quod ad vocabulum istud
 ἐπελεύσεται, malè & pessimè vertitur à Castellione INVADET.
 De hac eius versione iudicium est Clarissimi Beza, verbum hoc, in-
 vadet, hoc in loco mihi non probatur, solet enim plerumq; in
 vitio usurpari, neq; satis videtur exprimere discrimen illud inter
 ἐπερχεσθαι & εἰσερχεσθαι, quod rectè observat Epiphanius adver-
 sus Theodotianos, εἰ Γαβριὴλ εἶπε, πνεῦμα ἅγιον εἰσελεύσεται
 εἰς σε, ἐκέλευεν ὁ Θεὸς ἢν ἡγεῖσθαι ἐν σαρκὶ ὡς παραγεγονότα, ἀλλὰ
 πνεῦμα ἅγιον ἐν σαρκὶ παραγεγονέναι, id est, Si Gabriel dixisset:
 Spiritus Sanctus veniet in te, non jam liceret existimare Filium in
 carne venisse, sed Spiritum Sanctum in carne advenisse. (2.) Quod
 Vorstius dicit Spiritum Sanctum supplevisse seminis viri vicem,
 & tamen defuisse semen viri, quàm puerilis est hæc ratiocinatio?
 Nam si supplevit vicem seminis virilis, quomodo potuit semen
 deesse, sunt enim duo contradictoria, jã duo contradictoria non
 possunt simul esse vera (3.) Quod Vorstius ex vocabulo ἐπελεύ-
 σεσθαι conatur inferre, Spiritum Sanctum supplevisse seminis viri vi-
 cem, improbum est, nam vocabulum istud ἐπερχεσθαι notat acti-
 onem quandam cœlestem, operationem extraordinariam, non
 secundum ordinarium & communem naturæ cursum, sed pecu-
 liari quadam ratione factum. Ut observat Gerb. in Exeg. p. 1219.
 & in Tom. suo 2. de Peccato originali q. 421. Sic dicit: Spiritus San-
 ctus supervenit in Mariam, id est, Actione extraordinariâ supra com-
 munem naturæ cursum in eâ operatus est & perfecit, ut præter rerum
 seriem sine virili semine virgo conciperet fœtum; ac massam illam ex
 quâ formata est Christi caro mundavit & separavit à peccato. Hebr.
 7. v. 26. Exterisit venenum peccati & fermentum ejus expurgavit.
 Maria enim, ex quâ Christus conciperetur, & ex quâ nasceretur, fuit
 peccatrix, estq; ac reliqui homines: in peccato enim erat conce-
 pta ac nata, nec solùm peccatrix fuit ante Christi nativitatem, sed
 & mansit peccatrix in nativitate, nec in nativitate solum sed &
 post nativitatem. Si ergo Christus nasceretur sine peccato, cum illo
 utiqve nasci non potuit, necesse erat ut Spiritus Sanctus, qui est

Spiritus Sanctificationis Rom. 3. v. 4. ingrederetur uterum Mariæ, ac istam massam, quam ex peccatrice Maria erat suscepturus, ab omni peccatorum labe ac vitio expurgaret, ne Christus nasceretur peccator. (4) Esse verò Christum ex Maria ejusq; femine natum, patet ex textu, ἐκ τῆς Exercet se hic valdè Huntlæus *Controvers. 1. cap. 17. Num. 7.* aliq; Athanasius in Epistol. ad Epictetum, si tamen autor est, putat, hic reperiri Eutychianam depravationem; cum verba ista ἐκ τῆς textui inseruntur; fatetur enim ista verba non legi in veteri Exemplari. Præterea non reperiuntur in editionibus Genevensibus; Quod quoq; nos fatemur, sed indè non potest inferri; hæc verba esse adulterina, eo quod, ut fatetur Gordonus, teste Brochm. *syst. part. 1. p. 36.* & Glassio *Philol. sacræ p. 232.* in exemplaribus græcis correctoribus eadem reperiuntur verba, Nec veretur Beza in suis notis hæc verba retinere, præeunte ipsi textu Syriaco, & Editione Complutensi, ut & nullis aliis exemplaribus veteribus. (3) Concludo verbis Athanasii *Disput. contra Arium pag. 51.* *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, non quod Salvatoris nostri Pater dicendus Spiritus Sanctus, ut duo credantur Patres, sed quod cum Patre & Filio idem Spir. Sanct. cooperarius unius potestatis est.*

Thef. 74. Finis Incarnationis alius est proximus, alius summus. Proximus est generis humani Redemptio; Summus gloriæ divinæ Manifestatio. Finem proximum quod attinet; hoc fine utiq; revera Christus assumpsit humanam naturam, ut nos redimeret. Qua propter dicitur non solum noster *Salvator σωτήρ* *עֲשֵׂה* *Luc. 2. v. 10.* &c. Sed etiam *σωτηρία* & *σωτηριον*, salus sive salutare *Gen 49. v. 18.* *Luc. 2. v. 30.* & *Zach. 9. v. 9.* dicitur *עֲשֵׂה*, Salvatus.

Thef. 75. Salvator & Salutare nostrum dicitur CHRISTUS non solum respectu termini à quo, ac respectu bonorum privativorum, quo respectu nos liberavit & salvos fecit à peccato, ab ira Dei, à Diabolo, ab æterna condemnatione, &c. Quod probatur *Genes. cap. 3. vers. 15.* *Semen mulieris conteret caput serpentis* *Luc. cap. 19, vers. 10.* *Venit filius hominis quærere quod perierat.*

1. T.

1. *Timoth. 2, 5.* Unius mediator Dei & hominum, qui dedit seipsum precium redemptionis pro omnibus. 1. *Job. 3. 8.* In hoc apparuit filius Dei, ut destrueret opera Diaboli: Sed, etiam ratione termini ad quem ac respectu bonorum positivorum: quia restituit nobis justitiam perfectissimam, Dei gratiam vitamq; eternam. *Dan. 9, 24.* Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur pravaricatio, obsignetur peccatum, expietur iniquitas, adducatur justitia sempiterna, &c. Summum finem, nempe gloriae divinae manifestationem, Angeli *Luc. 2, 14.* ostendunt, dicentes: *Gloria in excelsis DEO.* Unde tamen ne utique concludendum, Christum hac incarnatione sibi ipsi promeruisse aliquid, sed ut istam gloriam, omnipotentiam, bonitatem, ac misericordiam, quam ab aeterno habuit cum Patre & Spiritu sancto in hoc actu incarnationis exerceret. Manifestatio namque divinae gloriae, non fuit necessaria simpliciter per incarnationem, sed ex hypothesi.

Theol. 76. Nec ea propter quod יְשׁוּעָה SALVATUS appellatur, in significatione passiva *Zach. 9. vers. 9.* dici Christus meretur, sibi ipsi aliquid, assumendo hominem, promeruisse. Nota hic obiter יְשׁוּעָה Salvatus, non esse errorem quendam textui insertum, quod enim septuaginta interpretes, qui Biblia habuerunt non punctuata, & Chaldaeus paraphraestes vertunt *Salvator*, non sufficit. Clarius enim hoc est luce meridiana, omnia nostra Bibliorum exemplaria legere SALVATUS, quod etiam satis superque ex notis Masoreticis ad hunc locum apparet. Porro haec lectio יְשׁוּעָה Salvatus nullam heterodoxiam gignit. Nam Christus, ut rectè notat Gerhardus in Exegesi p. 1120, & Glassius Philolog. sacrae Lib 1, p. 169. Non solum est Salvator, sed & salvatus i. e. quia passione & morte nos redimere voluit, & in profundum miseriae descendit, ideo ipsum prius salvari oportuit, ut salvatus ipse nos salvare posset. *Esa. capite 63 vers. 5.* Quod verò sibi ipsi, assumendo carnem humanam, ne vel minimum promeruerit, satis constat ex titulo in hoc Prophetico textu ipsi assignato, non enim solum יְשׁוּעָה appellatur, sed & יָשָׁר Justus dicitur. Si igitur Justus fuit, non opus esset, ut justitiam,

tiam, quàm habuit longè antea & quidem in perfectissimo gradu, tum demum sibi acquireret.

Thef. 77. Quamobrem improbamus & ad imum orbem damnamus Pontificios & Calvinianos, qui pudore nullo suffusi, Christum sibi ipsi sua Incarnatione promeruisse aliquid, dicere haud dubitant. Verba Bellarmin. sunt Lib. 5 de Christo cap. 9. *Christus corporis gloriam & nominis exaltationem sibi promeruit.* Zanchius Lib. 2. Epist. ad D. Stukium repetit hoc sæpius. *Christus sua obedientia promeruit sibi vitam aeternam.* Palmarium dictum, quod illi à suâ parte stare confidunt, exstat Phil. 2. v. 9. *διὸ ἡγῆσθη ὑποταχθῆναι ὑποταξάμενος* &c. Sed Resp (1) Falsò & perperam quærunt hoc in loco subsidium. *Nam conjunctio conclusiva διὸ, quapropter, in se non causam rei exprimit, sed consequens in ratione infert, sive ex causa, sive ex alio loco desumptum argumentum præcesserit.* Juxta Canonem traditum à clarissimo Glasio in Philolog. Sacr. Lib. III, p. 629. *Ac ea propter hæc Conjunctio conclusiva, διὸ, non hoc in loco denotat causam meritoriam, nec finalem, sed consequentiam & rationem, qua unum ex altero consequitur.* Videantur loca Rom. 2. vers. 1. cap. 13. vers. 5. cap. 15. vers. 7. 2. Cor. 2. vers. 8. Jacob. 1. vers. 21. Hebr. 13. vers. 17. cap. 12. vers. 12. &c. (2) Componitur græcum διὸ ex articulo εἰ & præpositione δια, reddendum ea propter, proinde, quocirca, ut ordo & consequentia passionis ac gloriæ, non autem effectus meriti indigitetur. (3) Habetur vocabulum in textu ἐχαρίσαστο, hoc est, gratis donavit, Erasmus vertit, *Largitus est ei*, sic vertunt nostra Biblia Danica (*haffver schendet Hannem.*) Quod si ergò gratis & dono accepit illud nomen quod est supra omne nomen, non ex meritò impetrasse illud nomen dicendus est.

Thef. 78. Parili ratione falsum est hoc quorundam Calvinianorum, Pontificiorum & Photinianorum dogma: *Christus si vel maximè homo non peccasset, tamen esset incarnandus.* Zanch. in Sexium. part. 3. Lib. 3. cap. 2. Guilhelmus Bucanus in institut. Theolog. Artic. 10. pag. 61. &c. Tannerus in Thom. pag. 3. Disp. 1. Socinus in prælectionibus Theolog. Ao. 1609. &c. Nam si Christus (ut paulò antè est evictum) per suam obedientiam quam Patri in In-

carna-

natione præstitit, ne quicquam sibi promeruerit, ex bona consequentia, talis fieri potest illatio, E. Christus, si homo non peccasset, non incarnaretur. Illationis rationem talem concipimus: Aut venit Christus in mundum ut sibi aliquid promereret, aut hominibus, non enim datur ex Sacra Scripturâ tertium; Angelis enim bonis cum illis nihil de esset, promeruit nihil, malis verò qui post lapsum in æternum sunt damnati, tenenturq; perpetuis catenis infernalibus, Deus nullam obtulit gratiam; Neq; venit aliquid sibi ut promereret, E. venit nobis miserrimis hominibus aliquid ut promereret.

Thef. 79. Incidit inter scribendum quæstio: Cur Deus magis voluerit redimi homines, quàm angelos malos? Cujus quæstionis ratio nulla firma satis potest perhiberi, præter voluntatem Dei, quod non Angelorum, sed Abrahamæ semen voluit assumi à Filio, Ebr. 11, 16. Probabilem inter alias nostri Theologi talem habent: Quia homo non tam graviter peccavit, ac peccaverunt angeli mali. Pertinet quoq; huc illud, angelos malos se ipsos seduxisse, homines verò per Diabolum seductos.

Thef. 80. Sed ad scopum revertar, à quo digressus sum Bellarminus Lib. 5. de Christo cap. 10. arripit quoq; nostram Sententiam, verum nimis dubie. Absoluta enim ejus propositio non est, sed dubitativa. *Filius Dei, fortasse inquit, non assumpsisset carnem, si Adamus non peccasset. Eandem buccinam inflat Gregor. de Valent. Tom. 4. Comm. Theo. in Thom. Disput. 1. quæst. 1. punct. p 79. ubi dicit: Rem hanc non satis compertam esse, convenientius tamen, probabilius & sapientius statui, Christum fuisse non venturum, si homo non peccasset.* Cæterum non probabile solum est hoc, verum ipsissima veritas, ex vero verbo divino satis elucens. Finem enim incarnationis statuunt scripturæ dicta *redemptionem humani generis & restitutionem illius quod erat amissum, Matth. 18. vers. 11. cap. 20. vers. 28. Satisfactionem pro peccatis. Joh. 1. v. 29. reconciliationem cum DEO 2. Corinth. 5. vers. 19. &c.* Concludo cum Augustino Lib. 1. de Civitate Dei: *Unicus natura Dei filius propter nos misericordiâ factus est filius hominis, ut nos naturâ filii hominis filii Dei per illum gratiâ fieremus.* Sed claudo rivos.

Thef.

Theſ. 81, Definitio INCARNATIONIS poteſt tradi ejus-
modi: INCARNATIO eſt admiranda ac ſupernaturalis actio,
qva cooperante Tota ſacroſancta Trinitate, ſecunda Trinitatis
perſona in ſuam *ἁνθρωπίνην* naturam aſſumpſit humanam, *ἀσυχ-
χύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίτως & ἀδιαρέτως* ad perditionem humani
generis redemptionem, majeſtatisq; ſuæ divinæ manifeſtationem.

*Sit nomen Domini benedictum in ſempiterna
ſecula, Amen.*

ERRATA

Quæ fortè irrepererunt per feſtinationem Typographi.

*A. 2. p. 1. lin. 17. lege illorum. A. 4. p. 2. lin. 35. leg. ſerviles. B. 1.
p. 2. lin. 20. leg. quod *μορφὴν* pro Synonimo. B. 2. p. 1. lin. 19. leg.
tum. p. 2. lin. 28. & 29. leg. *ἑστῆ*. lin. 20. *ὁμοιωματι*. B. 3. p. 1. lin.
24. transformabit. B. 4. p. 1. lin. 32. quæ deleatur. p. 2. lin. 13. hæc
autem. C. 3. p. 1. lin. 4. poſt ejus, adde, naturam divinam ſed *ἑ*. p. 2.
lin. 26 illarum. D. 1. p. 1. lin. 16. Hereses, lin. 13. Academiâ. D. 4. p.
2. lin. 1. vulgatus. E. 2. p. 1. lin. 18. heterodoxis, lin. 28. appetitiones.
F. 3. p. 2. lin. 26. pro *Imaſe* leg. *Oaſim*. Leviom corrigat benevolus
Lector.*

Ad

*Ad eximium Dn. Respondentem Theologi
filium & nepotem:*

DEsine rala cohors Pastorum illudere tædis,
& sobolem probris exagitare tuis.
Scortorum catuli telluris inutile pondus,
Pastorum nati totius orbis honor.
Hunniades damus, Osiandrosq;, damusq; Lyle-
ros,
Reseniumq; Patris Vatis Aviq; decus,

Εὐφραδὸς ἔπειτα

Joh. Hulfemannus, D.

JAet at propages, nomen, cerasq; priorum
Impia fumosas, quam strenua inertia torquet.
Tramite, quin laudem, rectò, non deneger usquam
Se et atur, semet letus famæ inseruisse.
Tu, tibi majorum laus quando aliena putatur,
Ut quem cura pii jam nominis una fatigat,
Dicende labem stirpi defendis inertem.
Indè tibi patriâ non olim gloria surget,
Crede, minor, novi, tali juvenilibus annis.
Notus avus latè, genitorq; ignobile vulgus
Despectat, patriæ splendor, non nomina tantum,
Summi,

*Summi, hic Theiologus, pridem & Episcopus ille.
Sanctos incensus tantis te impellis in ausus
Exemplis, clarò nisus Hulsmannide rege,
Seclis ut taciti solers penetralia nudes
Arcani, coetus longè quod sanctus adorat.
Maecte, virum proles, largè quos dia beavit
Cœli vis, servans exempli, debite cœlo.*

Rebus divinis, plurimaq; ingenii vi, singu-
lariter instructo, eoq; à me deamato
JUVENI VIRO, Dn. Johanni Resenio,
depromptum à *Teo* diasi affectum
volens transdit

*Joan. Duns
Petrejus.*

F I N I S.

Coll. Diss. A 183, univ. 11